





3 opere in 1 vol.

PHOSPHORUS SIVE IOANNES BAPTISTA

AUCTORE

R. P. Balduino Cabillavo
Iprensi
Societatis IESV.

RNA ARDENS



LOVANY
Typis Cornely Coenesteny
Anno M.DCXLII.
Cum Privilegio.

LEX NOVA

EXPLICATIO IMAGINIS.

1. *Phosphorus emicat.*	1. Ioannes.
2. *Sol incipit parum oriri.*	2. Christus, nato Ioanne, paulò post nascitur.
3. *Phosphorus radios spargit.*	3. Ioannes lux Christo præuia, & lucerna.
4. *Ros hac è stellà impluit horto.*	4. Aqua, quâ capita in baptismo irrorat Ioannes in Iudæa.
5. *Herba, aliàs siticulosæ, irriguo rore reuiuiscunt.*	5. Peccatores ad pœnitentiam resurgunt.

Clauda nocturno pede luna, furuo
Vt polo cessit profugas in vmbras;
Emicat terris hilari decorus
Phosphorus astro.

Ille iucundi radians Eoi
Partus, vt tristis vetus vmbra legis
Occidit; surgit, roseoque amænus
Ridet ocello.

Sic vbi puros micat inter ignes
Phosphorus; lustrat vigil ima terræ,
Et sitibundas gelido sub imbre
Imbuit herbas.

Quale Iudææ iubar ille Christi
Prima lux adflat! quot, vt iris, almos
Appluit rores bibulis viretis:
Tot lege flores.

In nouam tellus faciem venusti
Phosphori dono nitet: inde flores
Quot parit pomus: tot alet beato
Sidere fructus.

Prouidis Diuûm fata cura curis, „
Quod rudi primum teneros ad ortus „
Arte prætexes, id in ampliores „
Crescet honores. „

AD LECTOREM.

Velim memineris in his symbolicis explicandis, è mea mente ipsum symbolum Italico charactere, explicationem verò latino exprimendam fuisse, & quidem præcisè, ex aduerso vt foret clarior. Præsertim cum non sint imagines; quas nonnulli æstimant potius iucunda vulgi omnia mirantibus oculis inania lenocinia, quam eruditis oculis animisque solida pabula; & suaui cum adspectu iucundas illecebras.

AD

EA quæ aliquando legi, ne forte parum tenaci memoria effluerent, quasi aliud agens, pedibus, & quidem vinctis, ceu compedibus, sed dignis libero genio, adstrinxi. Seu potius ne (vt Homerus vocat) ἐπιαπτερόεντα auolarent; fugaces pennas incîdi, inclusique. Nihilominùs tamen (ea fugiendi erat libido) vti Sibyllæ folia volucri in ventos fugâ abyssent; ni prouido amicorum consilio, quorum nutus mihi sit imperiũ, ea iam fugientia retraxissem, & temere sparsa ritè collegissem. Forsan mirabere, & rogabis: Quis quæso vnquam scriptor ita stylum suum spargit, nec eum potiùs presse domi continet, ac coërcet? sic fateor, fieri oportuit. Sed scias velim me cũ ceteris Societatis IESV varijs meæ in religionis votiuo obsequio districtum, & negotijs, & officijs. Quin imò bene magnam vitæ partem in missiones hàc illàc Superiorum imperio, distraxi. Vndè nequij adfixus stabili pluteo adhærere, nedum longo in otio desidens libros pertexere. Vnde mihi minimè integrum fuit ea, quæ animo volueram, & stylo expresseram, certos in locos digerere. Tamen prætut potui nonnihil disposui. Itaque sit ab Ioue, seu potius Iehoua principium, *Cuius gloriam cæli enarrant, & opera eius annuntiat firmamentum Psal. 18.* quod mihi itidem primum, & vltimum imo sub corde subhæret votum: ideoque animus est è tam magnificâ æterni & immensi Regum omnium Imperatoris

peratoris regiâ, augustissimam eius explica maiestatem, & inexplicabilem omni obseruar tia dignam auctoritatem. Sed hoc aliâs vberiù & ex professo.

Interim hîc omissis varijs in hunc locum ex plicationibus, attingam cælum cæli, siue myst cum cælum (Ecclesiam dico) vt eam sæpè sæ piùs æterna nuncupat sapientia *Regnum cælorum* quo in cælo ipse *Christus* prælucet cæteris astris & Sanctis. Vti *Sol iustitiæ cuius in pennis sanitas* id est in gratię radijs quasi pennatis, animę æter na salus, & igneus diuini amoris ardor existit Ipsa autẽ huius sempiterni, & diuini Solis Filia Soror, Sponsa, & Parens B. inquam *Virgo luna perfecta*, quæ indidem omne lumen diuinitù haurit, quod in cæteros mortales deinde vber cum influxu transfundit, cui dignitate minor & luce, maior tamen alijs Sanctis præfulget *S. Ioannes, ceu Phosphorus*, qui limes legis veteris vmbram inter & nouæ lucem, & prælustris gemino sæculo lux, atque sequestra lucerna intermicat. Ipsi porrò *Apostoli numero bisseni zodiacus*, totidem quod ipse illustres signis; qui totum orbem vti sidera in zodiaco, lucido sui appulsu, non sine solis æterni benigniori, & vberiori beneficio collustrant.

Sed quid ipsi *quatuor Euangelistæ?* an non ipsa *regia Iouis stella*, quam (vti recentiores nunc Argi, an lyncei Astroligi? deprehendunt,) quaternæ stellæ minores hactenus ignotæ, quasi satellites ambiunt; & ceu quadro agmine, ac statione

ione circumſiſtunt. nimirum vna quaternis in Euangeliſtis lux Princeps, & veritas effulget conſpiratque. Quid autem *Sancti?* quis eos neget *Sidera*, ſiue anrea cæli monilia, gemmaſue pulcherrimas; ſed aureas, quibus amæniorem in ornatum ipſa cæli nocturna facies alioqui inamæna diſtinguitur, & exornatur.

Et, ne quid deſit in myſtico hoc cęlo, ſeptem Sacramenta ſeptem erronibus, qui tamen non errant, haud dubitem comparare: & ſanè aptè. In quibus humida luna Baptiſmus, Euchariſtia ſol, in qua Chriſtus: & ſic de cæteris, quod alibi explico latiùs; nam totum hoc cælum iam, laus Deo, abſolui, & ſingulis his partibus librum attribui; nempe ſoli, lunæ &c. Interim lubet paulò perſpicaciori oculo inſtar aſtrologi, noſtrum Phoſphorum contemplari; donec largiori lumine & gratiæ beneficio ſol breui ad huius ortum oriturus, orbem vniuerſum perfundat. Quippini eum *Phoſphorum* dixerim, qui vt ſalutare, & præuium Auroræ ſidus, iam inde ab ipſo mundi principio exoptatiſſimè præfulſit; & tenebricoſo huic orbi antiquam caliginem iam iam diſcutiendam denuntiauit, nocturnæque legis vmbras in ſempiternæ lucis claritatem, diemque æternum immutandas oſtendit & celebrauit? quid? quod ad aquas Salim, & Ennon (ne quid dicam de Chriſti baptiſmo) ceu Phoſphorus, ſalutarem rorem mortalibus, quos ſancta ſuæ ſalutis ſitis vrebat, impluerit, & è nube velut clariſſimâ luce, Trinitatis auguſtiſſi-

 mam

mum myſterium, hactenus pauciſſimis notum omnibus explicarit, totoque mundo è ſua Iude eius fidem diffuderit.

Item ſicut Phoſphorus haud alio collucet lumine, quam eo quod (vt & cetera aſtra) à ſol cælitus decerpſerit: ſic & Ioannes non niſi alienâ Christi è luce tanto gratiæ ſplendore, ac ſanctitatis claritudine ceteris (excepta B. Virgine præluxit. An ſileam? quomodò Phoſphoru (quod nuper lyncea Aſtrologorum acies aduertit,) in lunæ modum, nunc ſeſe in cornua extenuet exhauriatque, nunc rotundo globo ſeſe in lucidum caput impleat? quid hoc eſt aliud, quam id quod de illo ſuo Phoſphoro ſol Chriſtus edixerat. *Me oportet creſcere*, (ceu naſcentem ſolem) *illum autem minui* (vti Phoſphorum?)

Nonnunquam eſt Scribis viſus Ioannes haud paulò maior Chriſto adſurgere, & in vanâ, eâque haud diuturnâ hominum opinione præfulgere. Sed ea tam præclara nominis gloria & claritas in Ioanne quaſi Phoſphoro ad exigui vſuram temporis breui eluxit, & ſimul defluxit, ſanctimoniæque princeps gratia defloruit. Verum enim verò qui hactenus D. Ioannis ſimillimam Phoſphoro imaginem ſtylo depinxi mearum eſſe partium duxi, vt vnde principium, nempe à cælis qui enarrant gloriam Dei, indè vt ad calcem tandem decurrat oratio; & nos pariter ipſis cum cælis Dei gloriam enarremus, & eorum ſuauiſſimum concentum non illum Pythagoricum diſtinctum ſeptem in modos pro

erronum

ronum numero quos Plinius recēſet l. 2. c. 23.
d quo de Iob meminit his verbis: *Concentum*
li dormire quis facit? illum inquam quem æter-
um Dei Verbum, & Sapientia rerum omnium
oderatrix, ſacer ille Orpheus, vt eum vocat
octiſſimus Clemens Alexandrinus in protexti-
, (non autem iſte fabuloſus ex Ægypto ma-
us & in Thracia celebris Lyricen qui *obloquitur*
meris ſeptem, ob ſeptem errones) quem vt
ernum diuinæ maieſtatis laudes canentem
diamus, & paribus numeris accinamus, eſt
noſtrum Phoſphorum deprecemur, In quo
oc caliginoſo mundo ſuum iubar noſtris ocu-
animiſque adluceat; vt quid ſit cauendum
rſpicaciori conſilio contemplemur, & cum
e Phoſphorus etiam totus ſit Vox, vt radios
os in aureas (vt ita dicam) linguas vertat, qui-
is nos inſtruat, quos audiamus modos, & qui-
is numeris concinamus. Meditor huic opuſ-
ilo adiungere ſacram venationem, ſiue pue-
m amiſſum à B. Virgine 80. elegijs & Agar
exulem: & hæc quidem typis eſt excuſa: illa
item excuditur.

Facultas

Facultas R. P. Præpositi Prouincialis.

EGo infraſcriptus Societatis IESV in Pr-uincia Flandro-Belgica Præpoſitus Pr-uincialis, poteſtate ad hoc mihi factâ ab adm-dum R. Patre noſtro Mutio Vitelleſco Præp-ſito Generali eiuſdem Societatis, concedo Co-nelio Coeneſtenio Typographo Louanienſi F-cultatem Typis mandandi Librum, cui titul-eſt: Phoſphorus, ſiue Ioannes Baptiſta. Nati-tas, vita, mors: Lyrica, Symbolica, Epigram-mata, Elegiæ. Auctore P. Balduino Cabilliau. In quorum fidem has manu mea ſubſcriptas, officij mei ſigillo munitas, dedi Bruxellis 2 Iunij M. D. C. XLII.

ANDREAS IVDOCI

CENSVRA.

VT varia præclara Poëmata, ex quibus cu- Poëtica arte pietatem hauſerunt Lectores, lucem hactenus edidit R. P. Balduinus Cabillianus Societate IESV *Vir Eruditiſſimus: ita hunc Phoſ-phorum, ſeu Ioannem Baptiſtam varijs Lyricis, Sym-bolicis, Epigrammatis & Elegijs, Senili iudicio per-fectum Poëſios ſacræ amatoribus proponat. Antuer-piæ die* 20. *Auguſti* 1642.

GASPAR ESTRICX Pleb. & Canonicus ac Lib. Cenſo ibidem.

PHOSPHORVS

SIVE

IOANNES BAPTISTA

NATIVITAS, VITA, MORS.

Lyrica, Symbolica, Epigrammata, Elegiæ.

Auctore

BALDVINO CABILLIAVO Iprensi
Societatis IESV,

LYRICA.

Ioannes in vtero Elisabeth horoscopum B. Virgini vti vates designat.

Hendecasyllabum.

IOANNES
Ad B. VIRGINEM.

Qui spectat in cœlo Virginem & Puerum in gremio stellatos sub coronis astrigeris.

VIn signem genesim tuam sequestram
Fati, si modò sit per astra fatum?
Est vt sidera litterata doctis
Te nunc erudiant suis figuris,
Quas cœli vitreum notat volumen,
Est astrum puer hîc, parens & astrum,
Cui sol in niueo sinu recumbit,
Et circum famulæ micant per orbem
Stellæ, & stelliferam struunt coronam,
Exsultant Hyades, pari sorores
Plausu Pleïades chorum reuoluunt.
Quo nil nobilius, venustiusúe.
Est hîc vt dubitem tamen; puellus
An donat iubar, an receptat astris?
Qui spargit radios sinu parentis,
Quod non ille iubar redonet astris?
Quo nil lucidius tot astra spectant,

 Et nil

Et nil vberius fluit per orbem.
Qui sic astrigeram Dei parenti
Designat gremio latens coronam.
Et qui iam loquitur perenne Verbum,
Quod nunc est, fueritque eritque semper,
Ac Verbi genesin per astra figit.
O quam lumine perspicace magnum
Solers Astrologum facit puellus!

Beatæ Virginis horoscopus, Cuius in sinu Leo recumbit. Spes ad Ioannem Baptistam.

Iambicum & Anacreonticum.

Mihi vel ipso sole perspicacior
Magnæ parenti fige dux horoscopum,
Domumque signa conscio
In asterismo prouidam.
Fastisque fandis sera quid vehat dies,
Dic quid theatro cærulo & Diuum domo
Præsagus æther vspiam
Miri nouique parturit?
Hic perspicax futuri
An ominaris augur,
Felice de venustæ
Horoscopo parentis
Quod prosperum sit orbi?
Saturne quod maligno
Teter minaris astro,
Benigniore lenit
Id Iuppiter sub astro?
Aut Martios furores
Venus marita Marti
Attemperat suaui
Frangens minas ocello?
Nil tale Virginali

Solpa

Sol parturit sub ortu.
Quid ergo! dic, amabo,
Fauor Iouis, Venuſque
Valete inane nomen.
Nunc ipſa cerne, cœlo
Tonantis ira dormit,
Leoque qui Leonis
Iam nil Amor reliquit,
In Virginis ſuaui
Sinu, ſinu recumbit.
Et Virginis decoræ
Sol in domo perennat.
Vt aureum renaſcens
Pax ſæculum reducat.
Et qui diu minaces
Leo recudit iras,
Stans ferreos in vngues,
Aheneoſque dentes,
Exaſperans in hoſtes,
Nunc agnus in benignos
Cor induens amores,
Viuat parens parenti.
Leoque Adæ nepoti
Salus, Amor, voluptas.
Suauitas, venuſtas.
Et vita vena vitæ
Ac fons beatioris,
Perennitaſque gaudi,
Et gaudium perennans.

Zacharias Ioannis nomen ſcribit.

Iambicum.

ARcana ſenſa mentis interpres ſtilus
Ceræ loquaci credit, & iubet loqui
Dum vincta muto lingua palpitat ſpecu.

 Putaſnè

Putásne scribis, ac Ioannem notas?
Manu disertâ hanc exprimit vocem stilus.
Mutâ hac tabellâ num quid eloquentius?
Vox ipsa Verbi sub stilo hîc cœpit loqui.

Aliud. Ad Zachariam.

Iambicum.

QVod ore fari nescias,
Manu loqui stat æmulâ,
Testis pugillar cereum,
Vocisque nomen exprimis.
Sic fręna, quæ ceu ferreo
Linguam coërcent vinculo,
Dissoluis, ac os expedis
In Verba, verba libera.
Nascens parentem sic puer
Infans magister erudit.
Vox ille, nescis? nũncia
Verbi, Deique conscia.
Qua non sit vlla doctior,
Nec vlla sit facundior,
Quæ dat vel elingues loqui.

Ioannes cum matre sua inuisit B. Virginis Filium, interim intercurrit agnus.

Anacreonticum.

VBi puer puellum
Inuisit, & reuisit,
Ac mutuos ad ignes
Conspirat hinc, & isthinc
Concors amoris ardor:
Tunc agnus inter errat,

Ludítque

Luditque, blandiensque
Balat, fugit, reditque,
Vt agnus inter agnos.
Blando gemellus agno
Adludit & puellus,
Cui purior Decembri
Candor nitet pruinâ,
Candor nitet ligustro.
Adrisit vtriusque
Præsens parens puelli.
Dixitque, qui niuoso
Par lilio renidet:
Hîc agnus vt gemello
Æquus nitor stat agno!
Par puritas, amorque
Candor, decor, voluptas,
Par innocentiæque
Vt candet hîc imago!
Blandis vibrans ocellis,
Blandis bibens labellis,
Tot suauiationes,
Et tot suauitates,
Queis nil siet secundum,
Quantum beatiorum
Est vspiam parentum;
Est istud in gemello
Agno videre, quali
His agna mater agnis
Nunc gaudio liquescit!

Ioannes Christum adloquitur.

Iambicum dimetrum, & Anacreonticum.

VOx ipsa vocis expers,
Facundus ille magnæ
Vates, Elisæ filius,
Vatumque princeps gloria

 Supplex

Supplex cliens IESV
Accumbit; vt parenti,
Audetque Verbo Vox suo
Loqui, Magistroque optime,
Et ad suum nitere
Pernox lucerna solem.
Et mirer hæc, si protinus
Decrescat, imparque occidat?
Quid? ad suum lucerna
Solem diu perennet?
Sed clariori Numinis
Vinci lucernam lumine,
Et immori diei,
Laus pæne par triumpho.

Ἐρὼς καὶ Ἀντέρως id est, mutuus amor Christi & Ioannis Pueri certant, vter cum lacrymis suauius illinat osculum.

Trochaicum purum.

PAr Ἔρως καὶ Ἀντέρως
Frater, atque candidæ
Stirps gemella gratiæ
Bella cerne, bellulis
Ora iungit oribus,
Lacteumque suauium
Imprimens venustulis;
Hinc, & hinc labellulis
Alma libat gaudia.
Dic, amabo paruulus
Hic vter suauius,
Dulciusque basium
Pignorat, quod omnibus
Suauius sit osculis?

Est vt

Eſt vt inde nobili
Fronde, flore, germine
Dulce, dulce præmium
Digna dote gratia,
Et Charis venuſtula,
Carpat, idque gloriæ
In decora pignora.
De roſaque cinnamoque,
Lilioque Balſamoque
Sparſa, ſiue nardino,
Queis nihil ſuauius,
Et nihil venuſtius.
His Ἔρως & Ἀντέρως
Ludat, idque mutui
Ex honore muneris.

Ad CHARITEM,

Vt alterutri fratri coronam decernat.

Diua pulchra, Diua blanda,
Diua grata, Diua iuſtis
Præſes & parens coronis.
Frater vt vides, gemellus
Pulcher hic, & ille pulcher,
Suauis hic, & ille ſuauis,
Dignus hic, & ille dignus,
Fronde, flore, ſpe coronæ,
Atque amœniore dono,
Sed tamen ſuauiori
Hic Ἔρως prior labello
Suauium dat Ἀντέρωτι
Occupatque ſpem coronæ,
Ἀντέρως Ἔρωτι blandum
Ipſe ſuauibus labellis
Oſculum quidem reponit;
Alteri nimis ſed impar:
Dux Ἔρως parenſque amorum

Cui nouum dein redonat
Osculum croco, cypero,
Lilio, rosâ, thymoque
Cinnamoque balsamoque
Suauius, venustiusque.
Quale nec columba concors
Candido viro maritat.
Siue nupta concha conchæ,
Purpurante fert labello.
Vnde prima laus Ἔρωτι.
Ipse quin vel vltro cedit
Ἀντέρως suo parenti.
Cui suæ decus salutis.
Debet, ac suos amores;
Nonne cedat & coronam?
Inde sed nouum reposcit
Suauium, suoque amori
Præmium, decusque honori.

Ἔρως Christi Pueri & Ἀντέρως Ioannis itidem Pueri in mutuos amoris vsus facibus colludunt, tandem Ἀντέρως suam Ἔρωτι lampadem tradit.

Iambicum & Anacreonticum.

EN Ἔρως, & Ἀντέρως
Ambo pares gemelli
Et hinc & inde lusitant
Ceu blanduli columbi.
Dextrâ gemellas transferunt
Pares vtraque tædas.
Et hic, & ille ventilat
Claram facem per vmbras,

Que

Queis aureum ceu nobili
Iubar coruscat astro.
Lux insolens hinc dicitur
Cœlo salo soloque,
Tædis sat his vt luserint
Pulchris amoris armis.
Ἔρως gemellusque Ἀντέρωσι
Queis nil magis venustum.
Tum frater alter lampada
Fratri suo relinquit.
Sic quam facem dat Ἀντέρως,
Ἔρως sibi reseruat.
Quæ clara pulchro sidere
Lustret perennis orbem.

Pietas inuitat omnes Nymphas, vt Ioanni Puero imponant coronam floream melleis guttis rorantem, vnde sit illi eloquentiæ suauitas.

Anacreonticum.

ADeste vos venustæ
Nymphæque Gratiæque
Et roscidæ Napææ.
Quas tot pater dierum,
Pater decorus auro
Sol, roscidâ sub aurâ
His educauit oris.
Huc & Dryas virentem
Sed iam soluta crinem.
Vt sic piæ sorores,
Nymphæque, Gratiæque
Dryas, simul Napææ
E lilio thymoque

Ros âque cinnamòque
Pulcherrimo puello
Pulchram ſtruant coronam,
Caputque fronde cingant
Quæ depluat roſarum
Succos, fauos, crocoſque
Et nectaris medullam,
Quam libet hauriátque
Puer venuſtiorum
Dux ille Gratiarum.
Vt indidem Suadæ,
Suaues fauos refundat
De florido labello,
Ceu balſamo ros âque,
Et aridæ ſalubrem
Huc accolas arenæ
Inuitet ad liquorum,
Ab lympidis lauacris,
Queis ſit nitor decoris
Decorque ſit nitoris.
De corde puriori.

Ioanni in deſerto agenti etiamnum Puero Amor commendat feras edomandas.

Trochaicum Purum.

DVx Amor vijs, & audax
Solitudinis viator
Pardales, tigres vel vrſos
Et leas, ſimul leones
Ignipes eques coruſcas
Ad faces, ſubſque fraenos
Iam docillimos adurget.
Ire qua lubet viatim,
Stare quâ lubet domatim,
Se ſtitit ſed ille tandem

Ad pij ſpecum puelli,
Dulce fert aue benigno
Ore tum puer puello,
Riſit alter, & benigno
Par reponit ore ſalue,
Obuias ruens in vlnas,
Obuios ruens in ignes,
Cui de hinc Amor domandas
Credidit tigres, leones,
Pardales, truceſque pardos,
Ludit ille, frænat ille,
Flectit ille, frangit ille
Sub lupis, ſuiſue habenis,
Et iubet, feræ ſuaues
Moribus ſuis amores
Induant mináſque ponant,
Videris feras magiſtrâ
Sub manu, putabis agnos,
Et pares ſuo magiſtro
Aemulæ decore vitæ,
Quos prius ſceleſta Circe
Efferauit in feroces
Impetus minas furores.

Amor Ioannem Etiamnum Puerum in ſpecu deliteſcentem deprehendit Vox Amoris.

Anacreonticum.

QVem quolibet ſub aſtro,
Et quolibet ſub antro,
Venor ſagace curâ,
His ſecubat latebris,
Suberrat his cauernis,
His dormit in tenebris.
Venuſtulus puellus,

Suauiſſimus

Suaui ſſimus puellus,
Puellus ille Verbi
Vox, & diſertus index.
Quid, me latet fugitque
Hoc irrepertus antro,
Sub deuio puellus ?
Quid ? veritas repoſcet,
Ceu vanitas latebras ?
Heus tu pater diei
Fuluâ comâ renidens
Cedò iubar diurnum,
Facemúe noctilucam
Phœbi ſoror niuali
Manu mihi miniſtrâ,
Vt auijs in vmbris
Hunc quæritem puellum.
Sed quid facem requiro ?
Nil hac opus, vel aſtro.
Seſe ipſa nonne pernox
Lux indicat per vmbras,
Sibi micat lucerna,
Sibiúe Veſperugo,
His abditus cauernis,
Vt ſit micans vbiuis
His noctis è tenebris
Augur iubar diei,
Dieſque parua nocti.
Lunæque par imago
Sed igne parciori.

Ioannes melle agreſti veſcitur.

Anacreonticum.

TVis puer ſuaue
Mel deliqueſcit vdo
Ceu de fauo labellis,
Et indicas I E S V M.

Qu

Quàm tu ſapis ! venuſtum
Signas Ieſſe florem,
Mel vnde pabularis
Apis ſagax amoris,
Fauo ſuauiori
Quò te tuoſque paſcas.

Ioannis toga ex hiſpidis cameli pilis contexta. Non vndulata molli textura, vt vult Chytræus Lutheranus.

Ad HÆRETICVM.

Iambicum.

EN vndulata mollicello de pilo,
Et de capillo textili nitens toga
Ceu blandulo puellulo; tenellulum
Sub blandicellâ zonulâ latuſculum.
Ehem! remulcet delicatulo nimis
Vati, beatulus quaſi foret nepos.
Iccircò parcè & duriter quaſi fera
Viuit, vel ipſo durior puer ſpecu.
Sentes acutas eſitans, imò fauos
Queis non ſit vſquam triſtius gulæ penu.
Sic tu figuras plumeâ veſtem ſtolâ
Cum ſis Adonis totus, & nouus Paris.
Id vnde noſti? mutuam numquid togam
Abs te Ioannes ergo tranſſumpſit prior?
An ipſe verò commodat tibi ſtolam
De delicatis vndeuis textam pilis?
Opinor. ignarus licet rerum ſiem
Molli tus ille ſi ſemel nepos feras,
Iſtam ſecundo non teres vſu togam.

Iordanis

Iordanis Sanctitas.

VOX FONTIS.

Iambicum.

LVſtralis vnda tingit innocens caput,
Agnumque qui ſit puritas ipſiſſima.
Intaminati velleris totus nitor:
Sed expianda noxa nuſpiam fuit.
Quid ergo ſacris tingitur fruſtra vadis
Agnus? niuali Nympha candorem bibit
Agni lauacro, & expiat ſi quid probri eſt.
Iordane nuſquam purius quis balneum
Deprendat, vnde quis merus candor fiet.

Ioannes Par Angelo.

Iambicum.

FAcunde præco Numinis,
Terreſtris an degas homo,
An Angelus ſis? neſcio,
Potus cibique neſcius?
Ni mel amarum ſugeres,
Macraſque locuſtâ dapes,
Aut fonte pocla duceres;
Tu totus Angelus fores.
Par certe es illi, & lucido
Par es lûcerna ſideri.
Verboque Vox tu proxima,
Tuaque ſolem tu face
Iuuas, ſub ortu Numinis.

Mitto Angelum meum ante te. Malachiæ 3.

Ioann

oannes se indignum æstimat, qui pedis obstragulum Christo dissoluat, vnde eam, quam nullus homo sibi, comparat gloriam.

Iambicum.

REgum duci pulcherrimo,
Regique nobilissimo
Caput decorum candido
Cingit tiara vinculo,
Gemmisque adornat gloria;
Sed pronus ore supplici
Dum fors hero clarissimo
Obstragulum diffibulas,
Pedemque soluis Numinis
Serto pyropus aureo
Pedes ad imos excidit.
Beatus vnde gemmei
Felice dono sideris
Præclara fulges gloria.
Laus illa maior omnibus
Viris, virumque præmijs,
Quod te minor sic Numini
Et vsque, & vsque subijcis,
Paruus tibi, magnus Deo,
Iam macte, macte millies
Vt maior adsurgas polo,
Et hinc I E S V S cœlitem
Gemmam perenni lumine
Tuæ coronæ transferat,
In æuiternum præmium.
Gemmas nouas nunc insere
De Margaritis Naiadum
Argenteisque lacrymis.
O ille felix gemmeam
Qui sic coronam colligis

Iordanidum de lympidâ
Vrna, ſinuque Naiadum,
Et de tiara Numinis
Cui cernuus tu ſupplicas,
Vt inde ſupplex in caput
Tuum pyropi & opali.
Iäſpideſque decidant.
Tuæ coronæ vt illiges.

Amor Diuinus Ioannis voces in ſolitudine excipit.

VOX AMORIS.

Anacreonticum.

PEr teſqua, perque rupes
Dum fors ſiticuloſis
Texo, retexo campis
Curſum, ſimul recurſum,
Et anxius viator
Venor meum puellum
Venuſtulum puellum,
Et indicem Tonantis,
Sed inuidis latebris
Iugiſque confragoſis
Vt hinnulum latentem,
Damamúe, Capreamúe
Vbi ſagax odorâ
Veſtigo nare & aurâ,
Quæ neſcio ſonoris
Vox auribus ſuſurrat,
Et adlaborat auras,
Auras loqui diſertas.
Sonant, ſonant loquaces
Montes, ſpecus vel vlmi;
Et vndeuis capaces
Appellit hoſpes aures

So

Sonus, redux ab antris.
An Nympha, Nympha, Nympha
Suſpirioſa duris
E rupibus querelas
Meas ſuo dolori
Triſti recudit aurâ?
Sed fabuloſus error
Vanumque Nympha nomen
Non eſt quod hîc canoris
Nunc hoſpitans cauernis
Auras imaginoſam
Refingat in querelam.
Quod his ſonat ſub antris,
Id vera veri Verbi,
Imago veritatis
Sonora. Viua neſcis?
Vox his ſedet latebris,
Vox veritatis index,
Vox cui perenne plectrum
Argutat in canoram
Linguam lyramque magni
Verbi, & pios ſonores.

mor ceu ſolers figulus effingit è voce Ioannis, qui eſt Vox, ſacrum Orphea, & Lyram in deſerto.

Anacreonticum.

AMor choris magiſter,
Amor lyris choragus,
Quam ſtella multa pingit,
Vt aureis ocellis,
Vbi ſatis ſuperque
Volubilem reuoluit
Rotam ſuis ſub alis,
Rotam ſuis ſub aſtris;

Tum Dædalus decori
Is artifex venusti
Quid elegans laboris
Luto è sequace pinsit,
Pinsit, rotam lutumque
Voluit, celer reuoluit
Sub mobili flabello,
Leuique versat aurâ
Leuique versat alâ.
Hinc Orpheum refingit,
Sed Orpheum puellum,
Vt occinat puello
Pulcherrimos triumphos.
Et insuper decoro
Ars elaborat vsu
Plectro lyram maritam.
Vox exit hinc in auras,
Sed non inanis aura,
Qua vana fallat aures.
Vox hæc sed æuiterni
Interpres alta Verbi,
Index pererrat agni,
Agnique purioris
Vox, quæ sibi perennem
Lyram, lyræque plectrum
Ceu Daulias volucris,
Sed non breues in auras
Vbique de canorâ
Solers figurat aurâ.

Pharisæi Ioannem interrogant, TV QVIS ES?

Trochaicum.

TV quis es, manus perenni
Cui fluit madens ab imbri?
Tune magnus ille vates

Qu

Qui timor dolorque Achabbo
Iesabelis in furorem ?
Maximusúe es ille vates
Dux, decus, salusque vatum,
Mirus insolensque veri
Omnibus Sophis magister?
Publicæúe fons salutis
His aquis redundat orbi ?
Tu quid inquis ? hoc vtrumuis
Alterutrumúe, siue neutrum.
Diffiteris, an fateris,
Alterum, simulque neutrum ?
Te fatere, agisque vatem,
Teque diffitere Christum,
Ergo quid lauis nocentes,
Si sacri chori decorum
Dicier caput retractas ?

RESPONSIO.

MAior hoc honor redibit,
Quò minor tuo parenti
Esse vis minor minister.
Quando vincla tu nec audes
Imo de solo magistri
Attigisse, vt inde soluas :
Christus ipse tum decorum
Te sibi dat esse membrum.
Imò Vox es apta Verbo,
Phosphorusque dux Eoo,
Sic vbi sacros IESV
Cernuus pedes adoras,
Fibulasque soluis imo
Ab solo, pedesque laxas,
Arduum caput decoro
Tollis vsque ad astra vultu,
Par quibus nites & astrum.

Ioannem è ſolitudine in carcerem pertrahit Herodias.

AD IOANNEM.

Iambicum & Anacreonticum.

TE ſola ſola vaſtitas
In hoſpitalis oræ
Abſtrudit antris aſperis,
Procul vijſque ſolis.
Tumultuoſis Vrbibus
Hîc auius reſidis.
Sub confragoſis attamen
Te rupibus Megæra,
Megæra peſtis regiæ,
Peſtiſque dira regis,
Sagax odoris naribus,
Deprendit irrepertum.
Et indidem iam retrahit
Victrix ſuas in arces.
In luctuoſum carcerem,
Et impias catenas.
Si nec tuetur horridis
Te ſolitudo ſaxis;
Quis, quæſo? plenis oppidis
Euitet hoc periclum
Et carcerem, quem pellices
Manu ſtruunt doloſa.
Quis non in ipſis ignibus
Par deflagrabit ignis?
Voxque inter heu! Erinnydas
Incurret hîc erinnyn?
Inter nocentes innocens
Sibi fit ipſe noxa,

Ad Herodem.

Iambicum.

FEralis ardet cæna crudeli toro
Et in furoris parricidalem dapem,
Squallet cruenta lance pallidum caput
Et hoc procacis ad lupæ tetrum ſcelus.
Viuam lucernam nox ſceleſta ſi premat,
Beatiore regij partûs toro;
Hunc ſempiternâ nube præſtinguet diem
Natalis Eos, cui iubar nunquam feret;
Ne iam deinceps alterum ſpectet iubar.
Nec lux renaſci vt impio poſſit toro.
Omnem, cruentâ cui micat telum manu,
Heu! ſpem ſalutis abdicat ſibi ſcelus.

Affertur caput Ioannis in diſco.

Scazon.

FLorente rident aſtra feſta natali.
Felix Idumes nunc tyrannus inuitat
Opimiores ad toros Tyrannorum,
Vnctæ beato queis garo natant lances,
Et vda Baccho prurit in iocos lingua:
Elixa & aſſa ſcurra dum ſatur ructat.
Phaſimque, capreaſque & hinnulos crudos.
Sed hem! quid iſthic ſpecto? qualenam monſtrū
Aportat altâ lance carnifex lena?
Spectabo, & intrò protinus feram greſſum.
Sed eſt timendum ne quid huc mali apportet.
Spectaui, & eheu! ſaucium dolet lumen.
Sol ad cruentam dexteram verecundo
Obnubit æger aureum caput nimbo.
Et erubeſcit triſte crimen indignans.
Hæ lautiores ſi dapes ſient Regum,
Profectò malim pauperum breues teſtas
Virente queis ſtat fictili virens beta.

 Rubet-

Rubetque caulis, allij & caput candet,
Cruento in auro opimiora quàm regum
Fercla exſecrandæ queis rubet caput cœnæ,
Ex ſangue vatis os, quod hîc cruentando
Impallet, atrox eloquar ſcelus? diſco,
Vel ipſa quod flens erubeſcat Alecto,
Diruſque leſtrigoniæ feræ partus.
Iam mitis omnis iſtud ad ſcelus tigris,
Iſpa & Megæra blanda, iam Charis ſæuit.

Diræ in Herodem, & Herodiadem

Scazon.

QVas in cruentæ belluæ caput diras
Fandi & nefandi vis memor verecundo
Deteſter ore; turpe me pudet probrum
Effari & aurum & purpuram quod inceſtat,
Princeps quod orbis nunc decus, Thyeſtæ â
Eheu! ſecuri ſuſtulit ſub æternas
Vt mittat vmbras, vnde clarius fulget.
Quis non vbiuis crimen erubeſcendum
Quod ipſa tellus ipſa & aſtra deplorant
In-expiabile ex-ſecretur ad fulmen.
Nunc ergo diris impium caput telis
Defigat vltrix ira & ſæua fax Megærarum
Vbique quidquid exſecrandum, & horrendum
Tetrumque, atroxque, atrumque ſub iugo ætn:
Adiuro id omne in damna parricidarum.
Sol pulueroſam ſiccus in ſitim areſcat
Aut de venenis euireſcat hydriſque
Ipſoque felle amarulentior ſit fons,
Caliginoſoque atra ſemper inuoluat
Nimbo ſepultum nox diem, procelloſa
Ver omne grando, & aſper occupet caurus.
In virulentas exeant dapes angues,
Spumaque florens purpurante in obſcenum
Tabum & cruorem degener fluat Bacchus.

Gemn

Gemmasque & aurum squalor ater incestet
Quod innocente vate sanguis inspersit,
Nec parricidis tuta sit quies vsquam,
Vbique mors, vbique terror incurset.
Terror minace torre atrocis Alectus.
Adulterini conscius torus probri,
Ambos scelestos obruat ruinoso
Versus sepulcro, abrupta vel repentinam
Tellus dehiscat in Charybdim, vtrumque.
Orcus voraci vt crimen hauriat stagno,
Cui sempiternis deflagrat rogis sulfur,
Putrem vt mephitim putidæ lupæ exurat,
In expiato & sanguini parentales
Flammas referuet ira parricidali
Vindex furori, quæ mori vetat mortem.

Herodiani sceleris exsecratio.

Horatianum.

FVnesta diro crimina ferculo
Alter Thyestes cœnat, & Atreus
Et parricidales cruento
Delicias epulo resorbet.
Nec ima tellus mugit, & anxio
Dehiscit orco? saucia lugubri
De cœde vatis, & scelesto
Ludibrio, choreæque ludo?
Caliginosisque inuoluit gemens
Nimbis nefastum denuo sol diem,
Vt stare vidit exsecrandâ
Lance caput necis in pudorem?
Quis purpurascens tum cyathus mero
Non hos ad ausus palluit impios?
Quis non torus de tam nefando
Attonitus tremuit piaclo?
Crudele mollis crimen id audeat
Pellex, choreæ Dux Amathuntidi?
Id quod vel exsecretur orcus
Tergeminæ ad rabiem Megæræ?

 Circa

Circa tremendum peruolitant torum
Minæ, furores, insidiæ, metus,
Iræ, dolores, adde visu
Horribiles per opaca formas.
Quas inter atro stat caput horridum
Tabo, & corusco lumine fulminat,
Atque inuerecundos minaci
Increpitat thalamos hiatu.
Periculosâ ludit in aleâ „
Incesta quisquis crimina luserit, „
Vis vrget intempesta Diuûm „
Turpe nefas rapidis quadrigis. „
Et de securi cui rubet innocens „
Cruor, cruentas Eumenidum faces „
Excudit vltor fulminandum „
In caput igniuomo sub imbri. „
Hic quæ proteruo læta volubiles
Iam lena ludo sollicitat Choros,
Æternitatis stare puncto
Serò gemet choreæ tot orbes.

Ioannis imago è plumis Indicis.

Trochaicum.

CVi prius sagum cameli
Hispidis pilis rigebat;
Mollibus nitere plumis
Iam vides. Putasne texit
Byssinam quasi lacernam
Plumeis comis columba,
Discolore picta collo,
Quæ sacris refulsit vndis?
Sic opinor: huic amœnum
Artifex amor laborem
Adstruit suo magistro,
Qui tot imbuit decoris
Moribus viros nurusque,
Byssinis stolis vt olim
Induat, simul coronis.

Ioannis

Ioannis, qui totus sit vox, Imago.

Anacreonticum.

IOannis en imago,
Vatique honos superstes.
Hîc pictor adde vocem.
Tum viua forma vatis,
Vatem suum loquetur.
Sed nil opus reponi
Vocem rudi tabellæ.
Hæc ipsa tota vox est,
Imago viua vocis,
Quantumlibet sit infans,
Vatem suum loquetur:
Sic vocis hæc imago.
Fit picta vocis echo.



SYMBOLICA
Vtroque ſtilo
LIBER PRIMVS.
EXVLTATIO IN VTERO.

Symbolum Primum.

Eliſabethæ votum vt Ioannem adhuc vtero latentem Chriſto obuiam ſiſtat.

Emblema.

Non inferiora ſequemur.

1. *Aquila ſuſpendens.*
2. *Pullum ſuum vngue.*
3. *Soli obuertit.*
1. *Eliſabetha.*
2. *Ioannem adhuc pendulum è matrice.*
3. *Chriſto dedicat.*

Vox Ioannis cui Eliſabethæ votum incluſum.

NOcte ſub illuni cur inuida mater alumnum
Claudis adhuc, puro lux vbi nata die eſt ?
Eripe me vinclis, quem Sol inuitat I E S V S.
Pullus ego, Solem pendulus vngue ſequar,
Hærebo labijs, oculiſque & pectore I E S V,
Illius è radijs lumina pura bibam.
Inuideat Gnato dios pia mater honores ?
Seque ſibi ? matri pars bona Gnatus ineſt.

Prouida

Prouida sed mater priùs occupat ignea Gnati
Vota, quod hic voueat; iam prior illa vouet.
Fas sit vt ambo canant: *Non inferiora sequemur.*
Voce pari, & Gnato nam sua mater inest.

Gratia necdum nato infusa.

Ioannes adhuc vtero inclusus ab agnato peccato liberatur.

Imago.

-sua per vestigia voluitur anguis, Quo tamen eluctor. --

1. *Serpens immanis in*
2. *Quina volumina conuolutus cui appictus in dorso.*
3. *Sol stans in*
4. *Cauâ lunâ*
5. *Orbis inclusus medio serpentis caudæ volumini*
6. *Ore hianti euolat*
7. *Phœnix liber vt*
8. *Orientem solem spectet.*
1. *Peccatum originale.*
2. *Quinque annorum millia aliquo numerante Ioannis ortum*
3. *Annuus recursus in quouis*
4. *Sæculo* 100. *annorum quod per* C. *designatur, item vacua diuinâ gratiâ sæcula.*
5. *Omnes homines tenentur originario peccato deuincti.*

6. *Apri-*

6. *A primo peccato liberatur in vtero & [...]*
peccato nascitur
7. *Ioannes & quidem hactenus vnicus, excep[...]*
B. Virgine & Christo.
8. *Christum agnoscit nasciturum.*

VOX IOANNIS.

Horatianum.

INgens Draconis spira volubiles
Orbes dolosis implicat orbibus.
Captiuus his vt ingemiscat
Orbis inexplicito sub hydro.
Ineuolutos sæua volumine
Adæ nepotes belua noxio
Necte, & renecte; eluctor imo
Mortis ab anguineæ barathro.

NOTÆ.

1. Serpens. *Vbi Serpens Orcinianus persuasit ve[-]tito pomo primum scelus committere, inde natum e[...] ceu alter serpens, peccatum originale in omnes Ad[...] posteros vti pestilens arbor, è serpentis veneno propa[-]gandum.*

2. Quina volumina. *Millenorum anno[-]rum quibus serpens id peccatum propogarat vsquè a[...] Ioannis natiuitatem. Esto Salianus nisi numere[...] 4052. annos. Cuius accedo sententiæ. Esto 5000[...] posuerim vt vtrique parti faciam satis.*

3. Sol. *Annum significat, quem suo cursu & re[-]recursu perficit.*

4. Luna

4. Luna caua. *Specie C. sæculum exprimit quod* *entum annis euoluitur, vel vacua sæcula sole iustitiæ* *eu menses omnes Christi necdum nati gratia.*

5. Orbis. *Post primos parentes eo vitio implicitus* *quilibet mortalium Adæ nepos, siue neptis toto orbe* *progenitus.*

7. Vnicus Ioannes vti Phœnix *pulcherrimus è* *Draconis sinu, & ore euolat liber. Si tamen vllus sit,* *fueritue Phœnix. Is ergo sit Ioannis mystico sensu.*

8. Eluctans *è peccato originali Ioannes Christũ* *breui nasciturum in vtero B. Virginis adhuc delites-* *centem transspicit & manibus pedibusque ad eum* *gestit aduolare.*

In-subrum insigne est infans è serpentis hiatu *emergens.*

Inolitam ab Adæ peccato Ioanni nasciturο labem Christus gratiæ suæ rore diluit.

Emblema.

Flos de rore nitet.

1. *Arbor aureis folijs vnde*
2. *Ros argenteus vbertim defluit in*
3. *Lilium sub eâ arbore inter*
4. *Spinas enascens &*
5. *Atris maculis sparsum, quas*
6. *Ille ros eluit.*

7. Dno

7. *Duo serpentes thyrso implexi, foliis venenu adspuunt, qui*
8. *Ambo fulmine adflati excidunt rupto nexu.*
1. *Christus omnibus sanctis pulchrior, sanctio & altior, è quo*
2. *Gratia, dum purissimam defluit in*
3. *Animam S. Ioannis suapte naturâ bonam, v pote à summo Deo bonam creatam, ideoq per se puram. Sed inter*
4. *Cæteros Adæ posteros reos.*
5. *Alienâ parentum culpâ & pœnâ inquinatai suo in ortu, quam*
6. *Dei gratia expiat, & purgat*
7. *Mors animæ & corporis.*
8. *Numinis potentiâ in Ioanne vincuntur.*

Trochaicum.

Ad Christum puerum.

AVreis decora ramis
Semper euirescit arbor,
Cui fluit, fluit perenni
Copia liquor, salubri
Rore qui ferat medelam,
Anguis improbo veneno.
Lilioque quod scelestis
Hydrus inquinat lituris.
Euge ros saluber, euge,
Pestilens scelus draconis,
Dedecusque triste pulchri
Floris expia decoro
Imbre, & expiabis atrum

Lacte

Lacteo liquore crimen.
Tertius quod est vel ipso
Angue criminis parente:
Triste quod ter exsecrandus
Virus adspuit chelydrus,
Lilio parum decoro
Diluis pio sub imbri.
Nunc rudi viden: ligustro
Purius quod enitescit;
Iamque labe purus almos
Flos inhalat hic odores,
Gratiæque cinnamomum,
Nardinum, crocum, thymumque.
Suauius quid his sit auris?
Mi puer parens salutis
In tuæ decus coronæ
Flos vt hic honos honori
Candidus sit, aureisque
Roscidam suis vt ornet
Arborem memor coronis.

eata Virgo Christo, à quo gratiam
ccipit, grauida transfundit in Ioan-
nem suum amorem: vnde ipse
Ioannes pulchrior euadat.

Emblema 4.

Implet plena suo te rore.

1. *Luna plena, è quâ*
2. *Gutta roris in hiantem*
3. *Concham influit, vnde*
4. *Margaritum concrescit.*
5. *B. Virgo Christo prægnans omnem excipit gratiæ copiam, vnde*

2. *Lacryma amoris Virginei pignus, & te ſtillat in*
3. *Ioannem auidum tam eximij doni, vnde*
4. *Pulchrâ vti gemmâ exornetur, & pulch euadat à Dei gratiâ.*

Sapphicum.

PLena iam Solis radijs, & auro
Luna roranti liquidum ſub imbri
Stillat argentum, teres vnde conchas
Vnio gemmat.

NOTÆ.

1. Luna *vbi ex aduerſo Solem adſpicit, & radios toto ſinu excipit; ſua cornua colligit, & tu plenum caput, & ſeſe refingit: Vnde clarior cæ aſtris præradiat, & lucem ſuam vnà cum rore in timam ſibi terram refundit: Sic &* B. Virgo *omnem omnium Sanctorum ſplendorem longe e perat, cum ſit ſolis ſui ſpeculum ſine maculâ, qu men, vti Luna tranſmittit, idque in alios è t vatos, atque adeò in ipſum ſibi iam proximum genere, tum ſanctitate Ioannem, ſed filij ſui benef transfundit.*

2. Luna *Alcmani mater roris dicitur, præſe ſereno cœlo: Ipſa enim frigidum eſt ſidus, quod æſtus, & inde ſiticuloſam terram, quem furtim licit, vel gignit, humore temperat.*

3. *Si verò ros in margaritiferam incidat chum, vti euenit in mari rubro, Perſico, Indico Americo, tum in vnionem decorum maris do*

(*gran*

granum vocat Tertul.) *nobili gelu concrescit, in ulentia maritima pretium, & concha ornamentum. dipsum dixerim de* magnæ Virginis *in Ioannẽ cœlesti gratiâ, quæ illi miram animi conciliet pulchritudinem, & singulari sanctimoniæ beneficio illustret. Nec meo id sensu, sed eximij Doctoris è sententiâ, uem velim, si lubeat, audias. Ambrosium dico in ucæ c. 1.:* Et vnde hoc mihi, vt mater Domini ei veniat ad me? hoc est, quantum bonum ihi accidit, vt mater Domini mei veniat ad e? miraculum sentio, cognosco mysterium: Mater Domini Verbo fœta, Deo plena est. *Et ulò post:* Non enim sola familiaritatis causâ est, uod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Iam si primo ingressu tantus profectus existit, t ad salutationem MARIÆ exsultaret infans in tero, repleretur Spiritu Sancto mater infans: quantum putamus vsu temporis Sanctæ MARIÆ addidisse præsentiam, &c.

4. *Vide quæ passim interpretes de margaritâ preosâ Euangelica adferant. Quæ possis haud inconcinnè ic aptare symbolo. Et Salmeron in parabolis pulchrè plicat.*

oannes vox in vtero, quod Matri Dei
Gabriel, id ipse Puero Aue accinit,
& cum suâ matre comiter salutat.

Sol cui dat ſalue, vox pia reddit aue.

1. *Sol oriens, in quo nomen* IESVS.
2. *Philomela cum ſchedulâ cærulâ, cui aureis literis inſcriptum*
3. *Aue accinit*
4. *In aureâ caueâ, quæ pendet è*
5. *Pomo onuſtâ pomis matureſcentibus.*

1. *Chriſtus naſciturus,*
2. *Ioannes vox Chriſtum*
3. *Salutat gaudio exſultans*
4. *Vtero S. Eliſabethæ*
5. *Stirpe nobili & ſanctâ.*

SVb breui longas caueâ querelas
An trahit? gaudî cui ſpes aberrat.
Erudit lætis numeris canorum
Pectus Aëdon.

Iura naturæ ſuperat parentis
Clauſus anguſto gremio puellus,
Cui ſapit dulcem ſua lingua guſtu
Præcoce IESVM.

Seque captiuum breuiore ſepto
Neſcit. At liber liquidas in auras
It canor, plectroque auido ſonoras
Parturit auras.

Dat putas, primam genitrix querelam
Væ, quod in feros ſequitur dolores?
Vox *Aue* lætos canit in ſuſurros
Auſpice Verbo.

Sic pio ſaltu tremuliſque membris
Geſtit, & ſalue cui vox ſit infans,
Accinit. Fit de Puero canoræ
Vocis Aëdon.

1. Ecce nomen eius oriens. *Zachar.6.qui lo-*
u de Christo explicatur.

2. Sol iustitiæ, *cuius in pennis, id est radijs (qui*
nnarum specie tereti se formâ distendunt & spar-
nt) sanitas, id est gratia, qua primæuo à peccato,
u auito & gentilitio morbo oppressas animas liberat,
æsertim Ioannis, quam eximio priuilegio etiamnum
vtero materno delitescentem dignatur ab eâ labe
piare, & nascenti peculiari beneficio, ceu agnatam
umam exsecare.

3. Aue, *A prima est vox, quã infans recens editus*
rat, & vagit, tum quia facillima sit littera, nec
ius plectri adminiculo egeat, nisi solo spiritu paulò
hementiùs expresso, & hoc si naturam spectes. Sin
tem altiùs id inspicias, posset quis opinari, didicisse
Adam protinùs queri: Ah! & suam infelicitatem
im deplorare, qui prius damnatus, quàm natus
t cum Bernardo lugeam) arctiori è materni veteri
cere in laxiorem mundi carcerem erumpit miser,
querela, qua sapiùs. Ah! ah! nunc ingeminat:
tea forte adyciet sæpè miserrimum illud &
piternum doloris Elogium: Væ. *Quod quoties in*
ro eloquio Deus *intonat, simul & fulmen æterni*
endij in caput impij intorquet, vt censent nonnulli,
lerint an bene, illud Sapientis Eccl. 10. Væ terræ
i Rex puer est, *sic intelligatur ad litteram de alte-*
s sæculi sempiterno supplicio. Felicior nascituro
nni sors obtigit, cui licuit non tristem de suo exitio

querimoniam texere; sed hilarem de salute gratul
tionem, & faustum omen suo seruatori accinere,
illi suaue & officiosum Aue *propinare, & simul lu*
bundis membris ad hunc cantum quasi choros ducer

Concors I E S V Pueri & Ioannis V gemino in parentum vtero sibi respondet.

Imago 6.

Obloquitur septem numeris pa Chorda.

1. *Hinc vna, inde altera cithara, cui in medio*
2. *Rosa, vt solet. In eâ citharâ*
3. *Septem fides, quarum*
4. *Primam vbi*
5. *Manus è nube plectro tangit: etiam*
6. *Prima fides in alterâ citharâ crispatur.*
7. *Puluinus purpureus hinc vnam citharam, i* *sustinet alteram. Vterque vero puluinus,*
8. *Purpura floribus acu pictâ.*

1. I E S V S *Verbum & propè Ioannes vox an* *pari formâ pueri in vtero vocales.*
2. *Sanctitatis pulchritudo, & boni nominis od*
3. *Septem dona sancti Spiritus,*
4. *Vbi Christi sapientiam ad impartiendum* *num S Spiritus solicitat.*
5. *Amor Dei, is etiam tum*

6. *M*

6. *Mouet intellectum Ioannis, vt Christum agnoscat, & canat illum sapienter.*
7. *Vterus B. Virginis & Elisabethæ intumescens in*
8. *Corpore casto & venusto.*

Sapphicum.

E Rudi plectro tremulo vel vnam
Hic fidem. Concors animat gemellas
Vox fides, & par citharas sorores
Aura maritat.

N O T Æ.

Experientia docet, & D. Gregorius adserit hoc, [qu]od hîc disserui.

[O]buius Christus puer adhuc inclusus Virginis gremio, in Ioannis æquè pueri animâ sui exprimit effigiem.

Imago 7.

Pulcher amor pulchros facit.

1. *Auis pulcherrima, cui*
2. *Caput radijs insigne sit,*
3. *Lilio auis insistit, quæ*
4. *Paruo & maculoso speculo*
5. *Sui pulchram appingit imaginem.*
1. *Christus*
2. *Gloria diuinitatis*
3. *Vtero B. Virginis purissimo*
4. *Ioannis animæ adhuc parentum è noxa inquinatæ*

 6. Gra-

5. *Gratiã, in qua Christi relucet effigies, adspir eamque inde decorat, cui inoleuerat viti pro natuurâ ex Adæ noxiâ propagine.*

Glyconium, & Pherecratium.

PVlchris irradiat comis
Solis deliciæ puer,
Quo non pulchrior alter.
At contrà liquido nitens
Crystallo speculum sedet,
Quò par lucet imago.
O! hic opto diu suo
Occurrat speculo puer,
Cui concors decus adflat.

NOTÆ.

1. Auis. *Christus totus cœlestis, & cui cum te ra commercij sit nihil, quo non sit, nec esse possit a quid pulchrius. Ideoque in sacra pagina sæpe vt ta describitur, sed hoc alibi ostendam.*

2. Caput radijs insigne. *Radij augustiore humana natura dignitatem, eamque diuinam ina cant. Hinc Latino Regi Bis sex aurati radij solis a specimen.* Virg.

3. Lilio. *Nullus lilio purior candor, & ob Poetæ fingunt, quod Iuno illi lac suum infuderi vnde sit dictus flos Iunonius. Verum id quod in illa fa bulosa vanitas, id in Virgine Matre ipsissima verita vbi lac virgineis mamillis lilio infundit Christo puer purissimo*

5. *Sui effigiem.* Illumina faciem tuam supe seruum tuum, & saluum me fac in tua miseri cordia. *Psalm.* 30.

Christ

Christi amor ex vtero Ioannem etiam in vtero clausum allicit ad sui amorem, & vna Elisabetham eius matrem.

Emblema 8.

IOANNES AD CHRISTVM.

Quo trahis, vsque sequar.

1. *Magnes, ceu gemma, inclusus*
2. *Annulo aureo, qui magnes trahit*
3. *Annulum ferreum. Hic & alterum trahit*
4. *Annulnm ferreum, sed*
5. *Minorem.*

1. *Christus, qui omnia ad se trahit*
2. *B. Virgine, cui perpetua sanctitas, & eximium pretium apud Deum,*
3. *Ioannem duriter semper viuentem, & fortiter morientem,*
4. *Elisabetham matrem, quæ si non æquali sanctitate par sit cum filio suo;*
5. *Imago aliquatenus tamē est similis, sed minor in perfectionis circulo existit.*

CErne, puer puerum trahit, ac tenet illice nexu:
 Christus enim magnes; Sed rigor omnis abest.
Ast ego non sine mente chalybs: puer inquijt alter.
 Quà trahor, æterni viuet amoris amor.

NOTÆ.

1. Magnes. *Magneti nihil simile in rerum na-tura existit: quia tam miris potentijs, tam arcanis viribus, vt nemo tam solerti sit ingenio, vt eas explicare possit.*

2. *Itidem inter tria Dei admiranda menti D. Bernardi, Verbum in carne maximum est miraculum quo omnia ad se trahit.*

3. In aureo annulo, *id est conceptum in Matre Virgine, vnde oritur.*

4. *Tertium miraculũ* fides in corde. *Quæ si vnquam, sanè mira fuit in S. Ioanne etiamnum fari nescio, suique ignaro, si spectes concretum tantum ad sex menses fœtum, quem Christi amor trahit. Vti autem annulus perpetuò in se recurrit: sic & ipse virtutis studio nunquam interrupto vitæ suæ orbem in temporis volubilitate expleuit. Ferreus autem quia non par Christo nec eius aureæ matri par. Sit tamẽ vti ferrũ sanctus & durus asperrimam vt vitam ageret, & vt chalybs mortis cruentum ferrum ferreo pectore exciperet, retunderetque.*

5. *Si magnes annulum ferreum attigerit; ille ipse annulus alium trahet annulum ferreum, vt Ambrosius, & experientia docet. Imprimit enim magnes halitum seu spiritum nescio quem, & suam vim imprimit ferro (esto nonnulli dubitent an ferrũ potiùs trahat magnetem.) Sic & Ioannes, vbi illi Christus vt magnes gratiam adflarat ideoque exsultat, etiam & in matrem à Christo gratia per Ioannem transfunditur, & ipsa in Christi amorem rapitur, & prægaudio*

etiam

iam gestit. Sed malim id aureo Ambrosij stilo depin-re, quam meo. Quem audi (in Lucam c.1.) Duplici iraculo prophetant matres spiritu paruulo-um. Exultauit infans; & repleta mater est. Non riùs mater repleta, quàm filius: sed cum filius sset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem.

5. Minorem. *Filius matris suæ censetur imago millima, sed hîc filio suo minor mater gloria existit.*

oannes Christo horoscopum vti Vates & Astrologus designat.

Imago 9.

-- Magnæ sol virginis astro Nascitur --

1. *Solem, sed paruum in*
2. *Virgine, cui in*
3. *Dexterâ cornu copiæ, in*
4. *Læuâ ramus floridus cum pomo punico.*
5. *Genius alatus*
6. *Astrolabio demonstrat vti horoscopum.*

1. *Christum puerum in*
2. *Deiparâ cui*
3. *Gratiæ diuinæ affluentia vberior*
4. *Flos virginitatis & fructus virginei partus.*
5. *Ioannes puer indicat,*
6. *Spiritus Sancti dono, quod est intellectus, quo ostendit Christum breui nasciturum.*

IOANNES AD CHRISTVM

Vin' tibi designem natali sidus in horâ?
  Sol nunc agit sub Virgine.
Lætior haud vsquam surget, nec pulchrior ætas,
  Dat Virgo fruges, sol decus.
Frugibus implebit iam fertile copia cornu,
  Cui pax decora floreat.
Semper in augusto si sol stat Virginis astro,
  Messes perennes auguror.

NOTÆ.

Ramus floridus. *Surculus punicæ mali præ aliarum arborum vsum debet florens inseri. Sic & hu manitas in Christo insita deitati, idque in ea stirpe Ies Beata inquã Virgine, ex qua & flos virginitatis intege rimus, & fructus è partu pulcherrimus cum corona diui næ maiestatis enituit, vti in pomo punico, quod natu sua coronat.*

Beata Virgo & eius Puer cœlestem ac flat auram, quâ Elisabeth & Ioannes, vti organum concinunt.

Imago 10.

Da Zephyrum puer hinc, accine inde parens.

1. *Vultus Virginis,*
2. *Vultus item Pueri,*
3. *Ambo in alis Cherubim adspirant*
4. *Auram suis oribus, obuio*

5. Organ

5. *Organo argenteo, & inaurato, quod canit laudes pueri & matris.*
1. *Beata Virgo,*
2. *Christus,*
3. *Ambo toti cœlestes;*
4. *B. Virgo suum amorem, & puer gratiam adflat*
5. *Elisabetha & Ioanni. Mater enim cum suo fœtu quid vnum censetur.*

ECce parens cum prole, pari bibit aure salutem,
Quam placidis spondet Virgo, puerque genis;
Et sacer adspirat vocales spiritus auras,
Cœlestique animat viscera muta sono.
Hinc puer arguto gremio, materque suaui
Ore sonant blandis organa viua modis.
Seu cauus os matris tubus hiscit & accipit auras,
Pes verò pueri plectra canora facit:
Plaudit Ioannes iò tibi * Christe triumphum;
Et bis iò ter iò deinde triumphe canit.
Plaudit iò puero puer, & canit ille parenti
Delicias matris, diuitiasque suas.
In medio tam grata sonant hîc organa mundo:
Accino. Iam templum nobile mundus erit.

* *Semestris puer, qualis S. Ioannes, natus Romæ in foro olitorio, exclamauit iò Triumphe.* Liu. l. 21.

Vterque Puer sibi mutuum amorem adspirat.

Imago II.

Dux oculus flammas parit.

1. *Duo oculi conspirant*
2. *Radios hinc inde in*

3. *Medium*

3. *Medium cor inter alas*
4. *Ardens ijs radijs, quos oculi adspirant co*
1. *Christus & Ioannes*
2. *Se mutuò adspiciunt,*
3. *Cor mutuum vnde concipit*
4. *Amoris flammas.*

AB gemino gremio, geminoque ab pectore flam
Haurit, & alterno transferit igne puer.
Vnde pares concors conspirat ocellus in ignes,
Quos peperit cordis lynceus hospes Amor.
Nec loquar occultos geminâ sub matre susurros,
Vnde pias animant bina flabella faces.
Tam benè si concors iubar adflat ocellus ocello,
An geminis geminum quis putet esse caput?

NOTÆ.

Radios. *Igniculi è corde amantis exsiliunt in oc-los, qui inde suos radios alienos in oculos transm-tunt, & cor itidem in amorem accendunt mutuu Vtrimque ex oculis emicantes radij. D. Basil. de V-ginitate è Platone.* An nescis, oculi sunt in amc duces, *Prop. Adde & faces.*

Ioannes à Christo illuminatur, & loq discit, vt Memnonis statua orientis radijs icta.

Emblema 12.

Sol radios da, plectra canent.

1. *Caput atrum stat in*
2. *Candidâ basi, cuius*

3. C

3. *Ori adflat*
4. *Aurora*
5. *Radium, vnde ex*
6 *Ore ventulus procedit.*
1. *Ioannes originali peccato infectus,*
2. *Sancta Elisabeth,*
3. *Ioannis anima*
4. *Gratia ortus*
5. *Beneficium purgandi peccati & lucem, è qua,*
6. *Loqui membris nunc, & postmodum ore possit, & incipiat.*

AD MEMNONEM.

QVâ nouus inuehitur roseo sol ardua curru,
Euoluitque rubro nubila vela mari,
Os radio propiore redux tibi libat Eöus;
Et legit auratis oscula clara genis;
Tum quid agis vigil auroræ, qui filius audis?
Hoc radio an plectro? ceu lyra dulcè canis.

PALINODIA.

FAbula sed Memnon, magici de carmine rhombi.
Vox sonat è ficto Memnone vera puer,
Ad pueri radios (puer alter Eöus Eoö est)
Muta prius, Verbi Vox modò læta sonat.

IOANNES ACCINIT.

VIrgo, puerque pio me tangit & vrit ocello,
Nec vigil è gemino Vox ego sole loquar?
O valeant vinctæ morosa silentia linguæ.
Virgo, puerque meæ sol it vterque lyræ,

Memno-

Memnonis *Æthiopis, qui fingitur Auroræ filius* ... *tua celebris in Ægypto, vbi orientis solis radio tang*... *arte magicâ quid bene sonat. Vti est expertus Str*... *Plerique veterum meminere: de quo sic Iuuen.*

Magico resonant de Memnone chordæ.

Per B. Virginem fons gratiæ è Chri... in Ioannem & Elisabetham influit

Imago 13.

Arduus ima rigat.

1. *Fons salit è*
2. *Lilio in*
3. *Monte rotundo,*
4. *Riuus septemfluus irrigat*
5. *Flores in monte enatos, &*
6. *Obit montem.*

1. *Christus è*
2. *Beata Virgine in*
3. *Montanis Iudaæ,*
4. *Septem dona Spiritus Sancti sese infundunt in*
5. *Elizabetham & Ioannem*
6. *Perpetua in gratia.*

Montanis pia Virgo iugis decurrit ad Hebron,
Tecta sub ima quibus mater Elisa sedet.
Sic Mariæ fons fonte fluit, fons largus Amoris,
Hinc vt Elisa bibas ceu caua vallis aquas.

Ioanne

[Io]annes Christum transpicit ex vtero, & Deum colit, & mundo co[g]lendum ostendit.

Imago 14.

-- *Latetque, patetque Deus amor.* --

1. *Globus crystallinus, cui*
2. *Sol inclusus transferit*
3. *Radios in alterum*
4. *Globum è crystallo minorem, sibiq; obuium, cui sit inclusus*
5. *Phosphorus hauriens inde radios.*
1. *Corpus B. Virginis.*
2. *Christus clausus in vtero*
3. *Gratiam in*
4. *Elisabetham sibi obuiam transfundit, cuius in vtero clausus*
5. *Ioannes clarius lucescit.*

1 QVi sub perspicuo sponte sedet globo,
Crystallum radijs transfluit aureis,
2 Promittitque vtero sol iubar obuio,
Ac adflat puero decus.

N O T Æ.

[F]*Oetus inclusus vtero in modum globi membranâ [vo]lutus in se complicatur. An autem sic & Christus in [Vir]ginis gremio sese habuerit, disserant docti vel potiùs*

in medium

in medium relinquant. Vt quid enim opus inqui rem tam abditam, & arcano Dei consilio reseru curiosiùs perscrutari.

Ioanni Christus adspirat gratiæ pulchritudinem, & agnatum peccatum eximit.

Imago 15.

Manifesta in luce refulsit.

1. *Sol irradiat*
2. *Atra nubi, cui opponit*
3. *Iridem,*
4. *Draco igneus è nube excidit in atrum*
5. *Hiatum.*

1. *Christus adlucet*
2. *Ioannis anima peccato inquinata, &*
3. *Gratia sua decorem adijcit,*
4. *Orci teterrimus inquilinus ex anima Ioan ruit in sinum*
5. *Orcum.*

IOANNES AD CHRISTVM

CÆca fui in gremio nubes, Iubar adflat IESV-
Fac de nube nouum sim decus, Iris ero.
Iris ero, cœlo quod nuncia solis imago est,
Hoc & ero terris: nuncius ibo Deo.
Quid refert cœlo terrisue enata sit Iris?
Si modo iucundum spargat amœna iubar.

Ioan

Ioannes in vtero ab Christi occursu eximiam accipit animæ pulchritudinem.

Emblema 16.

-- Rosa solis ab aura
Aurea ducit opes. --

1. *Sol oritur, ad cuius*
2. *Radios*
3. *Calyx rosa sese aperit*
4. *In rosam in*
5. *Roseto, vbi*
6. *Plurimi calyces*
7. *Adhuc clausi persistunt.*
1. *Christus breui nasciturus.*
2. *Gratia.*
3. *Ioannes inclusus vtero materno*
4. *Accipit insignem animæ pulchritudinem*
5. *In humano genere.*
6. *Infantes in vtero*
7. *Inuoluti Adæ peccato nullo animæ decore efflorescunt.*

VOX IOANNIS IN VTERO.

Hispidus ante calyx spinis; formosa dehiscit
Iam rosa. quæ dono solis amœna nitet.
mque nouo mihi pulcher amor præflorct honori.
Te mea lux IESY, te rosa pulchra sequar,

Lætare sterilis quod ex matrice produxisti lili[um] castitatis, rosam spiritualis fragantiæ, interdiu luc[en]tem facem aduentûs Christi, Ecclesiæ pronubum, [pœ]nitentiæ præconem, Agni indicem. Theod. Studites [de] S. Ioan. Bapt.

LIBER II.

VITA.

Vt olea se conuertit solstitio: ita eti[am] Ioannis ortu solstitiali lex Moysi abit in legem gratiæ.

Emblema I.

Solo noua nouus ibit honos.

1. *Sol in cancro, sub quo*
2. *Oliua, quæ sua*
3. *Folia inflectit & inuertit.*
1. *Iunius, natalis Ioanni mensis dum sol vers[atur] in cancro in æstimali solstitio.*
2. *Lex Dei*
3. *Vetus in nouam legem se vertit nascent[e] Ioanne.*

Cancer vt æstiuis solem detrudere signis
Cœpit, & accidit longior vmbra diems;
Puber oliua caput cum sole reflectit in orbem,
Auertitque suas anxia tota comas,

So.

Solſtitiumq́ue nouis alter color arguit vmbris,
Sideraque vmbroſis ſignat itura rotis?
Sic vbi iam priſcas tabulas antiquat I E S V S,
Depellitq́ue ſacros,quos litat ara, boues:
Nunc alios alio ſe lex noua vertit in vſus,
Gratiaque inuertit quod prius egit, opus.
Idq́ue ſub exortum vatis, puriq́ue puelli,
Nobile cui nomen gratia prima tulit.
Scilicet auſpicio vatis ſed præſide Chriſto.
Iam rerum & facies altera, & alter honos:
Quàm lætum facilè cui fronde reuoluitur orbis,
Arbos aſtrologum ſolſtitialis agit.

A L I V D.

Lex vetus illa priùs folijs oleaſter amaris,
Mitis inoffenſæ pacis oliua viret.
Quid dubitem? *Χριςὸς* nunc vbere manat oliuo,
Vberiore nouum paſcat vt igne iubar.

N O T Æ.

1. Sol in cancro, *eſt Iunio menſe ſub quo exiſtit ſtitium æſtiuum circa Ioannis natiuitatem.*

2. Oliua *Lex Dei ob miſericordiam & alia dona* *rrima.*

3. Folia *inflectit oliua in ſolſtitio eaque inuer-* Plin. *Sic veteris legis pagina vertitur in noua* *s paginam.*

Naſcitur Ioannes è ſterili & grandæua matre.

Imago. 2.

-- Sicco radix oleagina trun
Truditur -- Virg.

1. *Truncus bifidus sine folijs, è quo pullulat*
2. *Surculus cum*
3. *Folijs & baccis.*
1. *Vterque parens, vnum in coniugio corpus* *dua persona, hactenus sterilis.*
2. *Ioannes puer*
3. *Vox totus, cum vsu rationis Deiq́ opima gr* *singulari, qua sit instar plurium.*

VOX VTRIVSQVE PARENTIS.

TRuncus eram. Sicco radix oleagina trunco
Truditur, & læto termite bacca viret.
Vnica bacca quidem, par mille sed vnica baccis.
Hinc oleum, hinc semper viua lucerna nitet.

N O T Æ.

Zacharias & Elisabeth *vti dua oliua, seu pa* *vna è duabus oliua* (*sæpenumerò siquidem in sa* *libris Vir sanctus comparatur oliua*) *vt apud Reg* *vatem Psal.* 91: Sicut oliua fructifera in do Domini.

Itē confertur & gratia diuina, ob oleum, quod o *è baccis exprimitur. Vnde & Christi nomen ele* *Quo sponsa trahitur, Cuius est vox,* Oleum effu nomen tuum. *Quod & quadamtenus huic* *haud absimile. Cuius nomen Ioannes, id est Deigr*

Q

ɫam quidem ipſe non largitur, ſed abs Principe oli-
(Chriſtum dico) haurit, & alij indidem vt hau-
ant, monet, ſuadet, impellit. Vide ſacros interpretes
latius explicantes, id mei non eſt inſtituti. Mihi
tis eſt breuiter indicare, quàm aptè oliua & olei
men Ioanni congruat. *Qui & lucerna lucens, &*
dens.

Ioannis ortu legis Moſaicæ incipit occaſus.

Imago 3.

-- Retrò ſublapſa referri
Aſtra vides. --

1. *Cancer ſtellatus in zodiaci limbo in cœlo.*
2. *Corona ex igneis ſagittis &*
3. *Nebulis*
4. *Refugit in atram nubem.*
5. *Phoſphorus purpureâ in nube aureus emicat, ſub quo*
6. *Ros copioſus dimanat in*
7. *Pulueroſas, & ſquallidas herbas, ſegetes, flores &c.*
1. *Lex Moyſi data cœlitùs per Angelum*
2. *Plena minis, & mortis terroribus.*
3. *Vmbratilis lex cum myſticis figuris*
4. *Euaneſcit, & aboleri incipit, & deliteſcit æternum.*
5. *Ioannis natiuitate & ortu nouæ legis,*

6. *Gratia vberior redundat.*

7. *Imbuit suauiori & puriori affectu piorum ar-das hactenus mentes.*

QVà Cancer refugo proruit impete;
Atris solis equos nubibus implicat
Nox: Sed purpureis manè redux diem
Clarat Phosphorus ignibus.
Euoluitque iubar dulce, quod inuidis
Vmbris noctis amans Cancer adulterat.
Et tandem veteres lex noua supprimit
Leges indice Phosphoro.

NOTÆ.

1. Cancer *æstiuum sidus: sub quo sol ardentis-simus squallidos campos exurit in siccum puluerem.*

2. Corona igneis sagittis *data Moysi lex igni inter corusca fulmina & cœli terrores in mon Sinai. In quâ vbiuis vindex in prauaricantes exæ-descit furor, & mors, mortisque minæ in improb vndeuis incurrunt. Vbi tamen tot inter diuinæ ir ardores rarus diuinæ gratiæ imber in siticulosa cor adfluebat.*

3. Nebulas. *Quid lex vetus nisi obscurum leg nouæ inuolucrum? in qua per nebulam quis nonnih lucis de venturo Messia transpicere posset. Prætere nihil nisi eruditas figuras, & conscias olim nascitu solis iustitiæ vmbras oculis prætendit, & depinxit.*

4. Refugit; *vetus lex cum suis minis & pœni quas inflammata in impios ira vindicis nusquam no irrogandas intentabat, incipit abrogari, & in grati titulum elucescere.*

5. Phoſporus Ioannes. *Qui Phoſporus vti luna utatur; nunc in cornua, nunc in ea colligit, & id è uerſo ſitu, quo ſolem, nunc ſupra, nunc infra ambit. ic & lex vetus ſub Ioanne, nunc euaneſcere incipit, unc noua lex creſcere.*

6. Ros. *Largior diuinorum donorum affluentia ab annis natiuitate, è Chriſto naſcituro è cœlo promaabit.*

7. Pulueroſas. *Vnde rerum terrenarum impius fectus abſtergatur; & ſitis æternæ ſalutis ſi non exeatur, ſaltem temperetur, & corda arida ad ſolidos œnitentiæ fructus proferendos irrigentur.*

Ioannes Iudaïſmo Heſperus, Chriſtianiſmo Phoſphorus.

Imago 4.

Lucis miço limes & vmbræ.

1. *Heſperus ſub atra nube abit cœlo ceu*
2. *Luna cornuta.*
3. *Phoſphorus in nube*
4. *Purpureâ & roſcidâ oritur, ſub quo*
5. *Sol incipit oriri.*

1. *Ioannes veteris legis & vmbræ fugientis index,*
2. *Lex Moyſis cui ceu duo è radijs cornua,*
3. *Legis nouæ prænuntius*
4. *Amoris diuini pulchritudo, & baptiſmi ardor.*
5. *Chriſtus paulo poſt naſciturus.*

HEspere cæde polo nocti dux ater, & idem
Iesseidum soli Phosphorus albus eris.

NOTÆ.

Ioannes, *cum eum adhuc insignior ob admirabil natiuitatẽ fama loqueretur, & etiamnũ omnium au bus insonaret.* Quis putas puer iste erit? *eius ocu auresq; vt falleret, & magnificam de se opinionẽ con ptam supprimeret: præ humilitate ad desertum confug & in eo delitescens agrestibus herbis vitam duri tolerat.*

Emblema 5.

Nos arbusta iuuant, humiles myricæ. Virg.

1. *Agnus solus inter*
2. *Rara arbusta*
3. *Myricas & crisas depascit.*
1. *Ioannes puer*
2. *In deserto*
3. *Suam sanctitatis conscientiam sustentat humi litate, séque eâ pascit.*

Ioannes in deserto è pilis camelorum hispido cilicio suam tuetur castita tem: & molles voluptatis, quæ blan da & ob id insidiosa animorum con ciliatricula, illecebras expugnat.

Emblem

Emblema 6.

-- Mihi purus ab omni
Labe decor --

LILIVM INTER SPINAS.

Sapphicum.

CVr sagum sentos riget in dolores
Hispidum spinis? niuei pudorem
Lilij castis stimulis satelles
Spina tuetur.

Ioannes etiamnum puer humido sub antro delitescit in solitudine, & sub hispido cilicio, cuius aculei secura contra vitiorum blandicias tutela.

Emblema 7.

Dura quidem, sed tuta salus.
His nos defendimus armis.

1. *Spelunca in petrâ, ad cuius aditum*
2. *Ericius stat erectis stimulis contrà*
3. *Canes versicolores.*
1. *Solitudo aspera.*
2. *Ioannes hirco sago horridus, sese defendens contrà*
3. *Varia vitia, quæ suam sanctimoniam & castitatem oppugnent.*

Sapphi-

Sapphicum.

CErne pugnaces acuens in iras
Queis Eres horret, stimulis lacessit
Anxios hostes. Parit hirta tutam
Spina salutem.
Castitas sentâ tunicâ pudorem
Armat in blandos, tenerosque amores,
Necubi fallas animos suaui
Fraude voluptas.

N O T Æ.

1. Petra refugium erinaceis. *Psalm.* 10[...] *Latebræ virtutis in tuto collocandæ sunt præsidium [...] asylum. Vita enim ab hominum commercio segregat[...] haud facilè alienæ vitæ contagio inficitur. Alioquin v[...] cum hominibus agitur, facilè quis suum vitium secu[...] agenti adfricat. Vnde postmodùm ingemiscat. Nunqua[...] inter homines egi, quin minor homo redierim.*

2. Ericius (*siue vt Plautus*) Eres, *vbi sibi imm[...] net periculum; se quasi in globum colligit, vndique acu[...] tis spinis subularum instar inhorrescentem; quibus can[...] absterret, seque suis armis & aculeorum fiduciâ susten[...] tat, propugnatque. Itidem prouidus hic sanctitatis su[...] custos sese hispidoso cilicio seu loricâ & telis armat, qui[...] bus mollia vitiorum lenocinia eludat, vel asperas ho[...] stium minas elidat.*

3. Canes. *Quis nescit in sacris paginis vtramuis in[...] partem accipi canes. Sæpiùs tamen in malam partem[...] vti hoc loco* Foras canes. *Et alibi: procax enim ani[...] mal canis, & offæ appetens, ne quid dicam, de molliter[...] adulantis caudæ blanditijs, ac gannitu & asperis den[...]*

tium

m minis: quæ omnia in blandas lenocinantis volupta- illecebras, & sæuos irarum incursus cadunt, vt inde iculum incurras.

oannes vbi delicijs cœleſtibus adfluit, neque bibens, neque comedens (vt de eo Chriſtus prædicat) ipſe ſemper ieiunus opprobrat improbis vanâ è gulæ & cupediarum ſatie perennem famem. Cuius hæc vox.

Imago 8.

)pimum conuiuium vigilantium ſomnium.

1. *Mandragora, ſub qua dormit*
2. *Paruus Æthiops puer, cui ſupra*
3. *Caput nubes, in qua*
4. *Picta menſa opipara.*
1. *Somni Cupido*
2. *Gula mancipium*
3. *Somnium in ſomno,*
4. *Inanis & fugiens opinio voluptatis.*

Phaleucium.

CVi nuſquam cocus, aut focus, nec ignis,
Turdos, attagenas, capras, aproſque
Pictas Phaſidis aduenas ab oris,
Perdices, hinulos, boues, oueſque,
Momento ſibi decoquit ſtruitque

Morpheus

Morpheus in Siculas dapes, ſed atro
In noctis thalamo toroque inani,
Cui ſiccum fluit hinc & hinc falernum,
Et fumo ſine fumus alſioſa
In cænâ nebulas cauas, & imbres
Mentitur dapis in macrâ figurâ.
Quam ſomnus pater eſuritionum
Depingit ſatur vnctiore naſo.
Inuitant oculos vides, opimæ
Hinc, iſthinc epulæ. Quid ô moraris?
Quin dentes acuis, moues ſaliuam,
Intendiſque auidas manus catinis.
Sed lances inhias, hianſque auaris
Prægustas oculis imaginoſas
Vanis de dapibus dapes, & vmbras
Iucundoſque dolos, gulamque fraudas,
Fallaci cruciat ſitim Lyæo
Ieiunus dolus, & dolor voluptas.
Iſthæc an ſaties ſitis, fameſque?
Ah! paſcis nimium ſitim famemque,
Semperque eſuries ſatur nec vmquam
Millena è dape tu dapem remandes.

N O T Æ.

1. Mandragora: *Somnum ſuo frigore concilia[t] vti & papauer.*

2. Æthiops. *Fœdum omnino gula vitium, & p[u]ſilli animi, quo ſe quis vt pecus ad paſtum abijcit. [O] viles animæ!*

3. Caput nubes. *Somnus è frigido humore c[u]m nebula cerebrum inuoluit.*

4. Picta menſa. *Miris ijſque inanibus reru[m] ſimulacris nunc dolores, nunc gaudia, vti verſipel[lis] Proteus ſomnus adumbrat, ijſque animo illudit ta[n]tiſp[er]*

[sem]per credulo, dum eas imagines vanitate ipsa vanio-[re]s contemplatur & aucupatur.

[I]n specu oblitescit suæ conscius san-ctimoniæ, ne miri partus sui conscia fama in vulgus emanet, vnde post-modùm magis inclaruit.

Imago 9.

Lux clarior emicat vmbris.

1. *Sol vnum radium adijcit*
2. *Iridi in specu exiguo, vnde*
3. *Ille radiat clarior.*
1. *Deus gratiam adspirat*
2. *Ioanni in cauerna latenti, vnde illi*
3. *Clarior gloria obscuro spelæo emicat.*

Delituisse iuuat. Lux clarior emicat vmbris.
Sic latuisse semel, sæpè micare fuit.

NOTÆ.

Spelunca quæ dicta Sapsas in deserto olim Prophe-[ta]rum domicilijs celeberrima ad Iordanem, dissita [v]no milliari à ciuitate Iuda: ipsa vero tribus millia-[ri]bus inde dissita, aditu difficilis, ascensu periculosa, [in]gressu arctiori molesta; longa pedes 10, lata 6, in [q]ua spatium 6. pedum longum, latum 3. tanti olim [...]ri cubile, ea autem in latere montem habet, quem [...]ij septem quasi superbis supercilijs coronant, ad cuius [...]lium lympidus fons salit & strepit. Cætera alioqui

tristi

tristi silentio stupent & squalent. In eo autem spel *annos omnino* 27. *delituit illa lucerna ardens & l* *cens, & inde ad aquas circa Iordanem processit.* Ioa Boucher in Boucquet sacré l. 3. c. 7, aliter sent Saluianus. *Ad quod vt ager Ioannes Abbas diuerti à Sancto Ioanne ibidem secundum quietem sibi app rente ea lege sanitatem illicò recepit, vt inibi degere Vbi adem D. Ioanni sacram struxit, & alios aduoca uit.* Mosch. prat. spirit. l.

Eo sanctissima mater puerulum etiamnum hære tem vberibus suis post sesquiannum à suo ortu transi lit. Niceph. 1. l. c. 14.

Quæ vbi ibidem quadrimum iam puerum orbu ipsa moriens reliquit: educandi ipsius curam Angel suscepit. Cedren. compend.

Quo in deserto Mosi & Eliæ æmulus hic vatu Princeps & pluribus incolendæ solitudinis exemplu dedit.

Ioannes è diuino gratiæ vberiore in fluxu inter natos de muliere maxi mus; sibi tamen minimus.

Imago 10.

Maiori minor umbra caput submittit.

1. *Cedrus altissima, sub quâ*
2. *Cedri minores adsurgunt, ad*

3. *Fonten*

3. *Fontem quem*
4. *Lilia coronant.*
1. *Ioannes sanctißimus,*
2. *Alij sancti, sed minores*
3. *Christum quem*
4. *Intaminata castitas, & pura ab omni labe virtutes condecorant.*

AD IOANNEM.

A Actebibis plenâ de Virgine pabula vitæ.
Et Cedrus ad fontem surgis alumna tuum.
nc casti pueri, castæ periere puellæ,
Quæque sub hac cedro stirps minor vmbra viret.
uba seu fuerit laurus, seu pinguis oliua;
Dedicat huic baccas illa, vel illa suas.
æ reliquas stirpes stirps tam procera triumphas.
Non cedrus; at victrix palma decora vires.

NOTÆ.

Dei est promissio quam dat iusto: Sicut Cedrus ani multiplicabitur. In Libano cedri nobilissimæ, lis Ioannes in summo sanctitatis fastigio, ceu te eminens, qui suo exemplo ceu fæcundo surculo. ijs eandem propagat sanctitatem. Tamen altissi- & maxima cum sit cedrus; si proceram & de- m eius speciem suspicias, minima tamen semine vel formica absumat, teste Plinio. *Tota con- ur: sic in corde S. Ioannis cuius tam præclara ent sanctimoniæ opera & signa virtutum, quasi i ab ipso æstimantur. Qui magnus cum sit, nolit ius videri.*

In Ioanne nullius vnquam vel minim
offensæ suspicio.

Imago 11.

Mens conscia recti.

1. *Sol irradiat*
2. *Globo crystallino insistenti*
3. *Columnæ.*
4. *Genius explorat, an ea sit ad perpendicu recta.*

1. *Deus adflat gratiam*
8. *Ioannis animo, in*
3. *Constanti sanctæ vitæ tenore.*
4. *Amor Dei Ioannis sanctimonium explor*

Perpetua in Ioanne sanctitas, vitæ c lestis tenore & assiduo sanctitatis ercitio decursus nusquam otio terruptus.

Donum Ioanni ab Amore diuino.

Imago 12.

Spiritus intus agit.

1. *Horologium perenne idque aureum, in quo*
2. *Zodiaci 12. signa cum*
3. *Sole, qui designat suis*
4. *Radijs singula Zodiaci signa.*

1. *Vitæ adsiduus in Dei amore decursus.*

2.

2. *Anni menses duodecim; sed vita cælestis,*
3. *Christo qui eos*
4. *Suâ gratiâ illustrat.*

A Vreas bissex numerabit horas
Solis obliquo stadio recurrens
rdo; quas intus regit in perennes
Spiritus orbes.

N O T Æ.

1. *Hactenus in eo omnis omnium Mathematicorum sudauit industria. vt motum perpetuum inueniret, sed llus Euclides, nullus Hero, nullus Ctesibius, denie nullus Archimedes, qui eâ fuit solertiâ; vt eum poerit inuenire. Nisi Amor diuinus in pectore sanctissirum virorum ceu spiritus in horologio suo inclusus, i omnia moderatur, & omnes affectus ceu rotas diri. Charitas enim nunquam excidit, à suo scilicet cur quem in virtutis stadio semel instituit. Præsertim in icto Ioanne cui ne minima quidem offensa iter illud ste vel ad momentum impedijt.*

Ioannes lucerna lucens & ardens ad aquas.

Imago 13.

Gelidis merus ardor in vndis.

1. *Nox. in quâ*
2. *Stella piscis in mari*
3. *Lucet &*

 4. *Ardet.*

4. *Ardet.*
1. *Ignorantia rerum cælestium.*
2. *Ioannes ad aquas*
3. *Docens viam salutis, &*
4. *Suo exemplo, & acri oratione ad pœnitent*
excitat.

Trochaïcum purum.

O Væso dic mihi viator,
Quis putas, sit ignis iste
Frigido sub Amphitrites
Fulgurans, flagransque regno?
Ille stella, stella pernox,
Stella clara, stella mordax,
Dente flammeo per vndas.
Hanc vbi natans per æquor
Attigi; manum deussit,
Naufrago quasi per vndas
Torre, vel natante tædâ.
Igneo quidem sub ictu
Gliscit ardor in dolorem,
Alma lux sed hinc redemptam
Spondet, impetratque vitam.
Macte clara, macte felix,
Stella ? sed quid æstuoso
Exsul innatas profundo,
Stella flamma digna cælo.
Ast vbi micante pernox
Stella tu mari coruscas
Stellifer polus fit æquor.

NOTÆ.

Stella piscis marinus, specie stellæ in radios disti
Item stellæ modo noctu lucens, & vt ignis sui tact
vrens. Plin.

oannes errantes securum ad pœnitentiæ portum aduocat.

Imago 14.

Lucerna lucens & ardens.

1. *Manna depluit in*
2. *Insulam desertam in medio mari, vbi*
3. *Pharos in monte, in quo inclusa*
4. *Lucerna globo crystallino.*
5. *Portus capax & incuruus, quem*
6. *Genij alati cingunt, manusque tendunt.*
7. *Naues laceræ è media*
8. *Tempestate appellunt.*

1. *Anima cœleste pabulum defluit in*
2. *Desertum in quo agit Ioannes ad aquas.*
3. *Virtutis fama homines aduocans conspicua omnibus*
4. *Amor ardens & amoris exemplum.*
5. *Securitas in deserto procul ab hominum commercio*
6. *Angeli pœnitentibus manus tendunt.*
7. *Pœnitentes se recipiunt pro dolore saucij è*
8. *Peccatorum periculo.*

Horatianum.

VEntosâ anhelans murmura buccinâ
Triton minaces excitat Africos
Exsultat vndabunda sæuos
Ira maris glomerans fragores,

Vtrumque mundi nox oculum suis
Nimbis procellisque obruit anxium
Nec lux superstes fluctuoso
Solicitæ ratis it timori.
Malus proteruo saucius Æolo
Heu ! luctuosas increpitat minas
Altæ ruinæ. Vbique remi
Diffugiunt laceri per vndas.
Spes ecqua tandem solicitæ super
Puppi sub atra mortis imagine?
Caliginosis ecce nimbis
Præradiat Pharos, anne sidus?
Qua curua fido brachia littore
Tellus caducis obuia nauibus
Ostendit hospitoque quassas
Excipit in gremio carinas.
Lux noctilucæ en æmulæ Cynthiæ
Cæcas ad vndas nocte sub anxiâ
Prælucet, ac Pharos coruscis
Iugè micans tenebris inardet.

NOTÆ.

1. Manna. *Panis Angelorum operâ in aëre elaboratus, qui omnem induebat saporis gratiam, si quis purus omni vitio, & conscientiæ amaritudine eũ degustasset. Certè eius suauitatem, & delicias cœlestes nemo explicet, nisi qui gustarit. Ideò Hebræus Rex* Gustate & videte, quàm suauis sit Dominus. *Præsertim in ipso pœnitentiæ (esto amarulentum videatur) studio vbi cum hoc pane cœlitus demisso, etiam & lacrymæ pœnitentiæ sunt vinum Angelorum.*

2. Insulâ, *id est deserto, quod erat ad mare rubrum, nempe in salutis asylo, vbi rara, vel nulla consortio contagia.*

3. Pharo

3. Pharos. *Vita Sanctorum exposita vti Pharos*
o caliginosa in nocte errorum qui periclitantur de
utis suæ naufragio, se recipiant in portum gratiæ.
: fiduciam sperandæ veniæ adsequantur. Certè
nctorum vita, vti eam depingit Nyssenus in vita
regorij Thaumaturgi. Pharo quam simillima elucet,
orum clarissima exempla, & rerum gestarum glo-
ı errantes ad pœnitentiæ studium inuitat. Vt in tuto
am collocent salutem.

4. Tempestate. *Quid mare nisi præsens seculum*
signat quod se casuum tumultibus, & vndis vitæ
rruptibilis illidit. Greg. 24. in Euang.

oannes lucerna ardens & lucens ad aquas vbi capit homines, & ad pœnitentiam vocat.

Imago 15.

Nox incubat atra fluentis.

1. *Nox in quâ*
2. *Nubes atræ in quibus*
3. *Varia monstra supra*
4. *Stagnum rotundum*
5. *Lucerna ardens affulget; ad quam*
6. *Pisces stellati inter*
7. *Retia sparsa ad ripam adnatant, quibus*
8. *Capi gestiunt, & ludibundi casses subeunt.*

1. *Legis antiquæ vmbræ.*
2. *Errores impiorum.*

 3. *Vitia*

3. *Vitia*
4. *Mundus fluxus & instabilis, vel aquæ Salim & Ennon.*
5. *Ioannes affulget ad aquas Salim*
6. *Pij cœlo digni aduolant, vt*
7. *Pœnitentiam amplectantur, & arctiorem vitæ modum sequantur.*
8. *Gaudent se pœnitentiæ studio capi, ob spem salutis.*

Ni malis à Christo Ioannis discipulos capi v Andream, Petrum, & alios.

Trochaïcum purum.

PRæmicat lucerna stagno,
Sed lucerna par corusco
Phosphoro iubar, vel vrsæ.
Nubilis aquis inardet.
Nubilosa vela noctis
Discutit, nigrasque formas,
Nubium, truces vel vmbras,
Monstra dira, dira spectra,
Nocte quæ relaxat orcus.
Hinc, & inde ceu coronâ
Textili doloque cingunt
Obuios plagæ natanti
Piscium greges, lucerna
Quos vocat, capique suadet.
Sic capi sed ad lucernam; est
Pœnitere, ne deinceps
Pœnitere sit necesse.
Nam dolor breues ad horas ,,
Occupat fidem salutis, ,,
Gaudiumque sempiternum
Lacrymis suis reseruat.

Horridum metum laboris,
Et breui genæ ſub imbri
Maximos dolor ſaluber
Opprimit rogos Auerni.

NOTÆ.

Copioſior nuſquam, iucundiorue piſcium exiſtit iptura, quam ſi de nocte piſcoſo in lacu lucernam rdentem deſtituas, quæ ſui fulgoris prauio indicio, & ntemplatione piſcium oculos in ſui admirationem ipiat, & inſolitâ luce perculſos, in retia pelliciat.

1. Perpetua nox, *iam inde ab ſuo ortu annos uſquam* 4000. *mundo incubuerat; donec ſol Iuſtiæ (cui Ioannes vt Phoſphorus præfulſit) exoriretur. uibus in ſæculis retro euolutis vnus penè omnes error ſic inuoluerat, vt alia omnia,* omnigenumque)eum monſtra, *potius colerent quàm vnum Deum. uâ in nocte tam caliginosâ pauci omninò Sancti Paiarchæ, & in lege Moſaïca, ceu raræ ſtellæ; nonihil cæleſtis lucis ijs in tenebris exſeruêre, & vt ſcinllæ in arundineto emicuere.*

2. *Nulli non Deus naturale lumen infundit, quo ſſit quadamtenus de Deo aliquid quaſi per nebum interneſcere. Verum enimuerò eas ſcintillas ſiue niculos craſſa rerum diuinarum, quam bruti affeus adferunt, ignorantia exſtinguit, vnde mentem rror occupat, & inde*

3. Vitiorum mira portenta, *omnem vitæ hone inſtituendæ rationem deprauant, adeoque peruer-*

 tunt;

tunt; vt homo dignissimum Deo, & cœlo animal belluam degeneret.

4. Quid mundum *de quo est sermo constituit nisi omnium hominum collecta multitudo.* Popu enim multi, aquæ multæ, *Apocalip. c.* 17. *in qu bus nullus diuini amoris igniculus adhuc sit superste nec lux vlla, aut quies resîdit; sed volubilium vnda rum instar, ad omnem venti appulsum huc, illuc, su sum, & deorsum prout cupido mobilem, & fluxu animum impulerit, circumferuntur.*

5. Lucerna. *Ioannes agit in loco aquis irrigu quo commodiùs aqua tingendi ad se confluerent, e loci amœnitas inuitaret.*

6. *Est in mari* stella piscis *ignei vigoris. Sunt e alij pisces maculis sparsi ceu stellis. Certè muræn dum viuit, quasi septem stellis emicat. Quidni & p homines cœlestibus Spiritus Sancti donis, vt stell præfulgeant?*

8. *Iuuenalis adulans, vel irridens ait de pisc insigni gulæ illecebrâ:* Ipse capi voluit. *Quasi fore felicitas lautis epulis vltimum intermori. Et quant satiùs quisque velit, vt sit peccato liber, securâ Chri sti sagenâ capi, & includi; vnde in spem saluti emergat.*

Ioannes lucerna ardens & lucens caritatis. Quam nec aura popularis gloriæ, nec minæ Herodis, nec sanguis effusus exstinguant.

Imag

Imago 16.

Nec vento cedo, nec imbri.

1. *Ventus vtrimque adflat.*
2. *Imber sanguineus inter vtrumque defluit. Sub imbri*
3. *Globus cryſtallinus in quo*
4. *Lucerna ardet, & ſtat*
5. *Super aram.*

1. *Ioannis gloria, & illuſtris fama per totam Iudæam diffuſa, & inde eius laudes, vel à natiuitate.*
2. *Terror mortis, & ex cæde cruor effuſus.*
3. *Caput cujus in vultu, oculis, & ore pellucet incluſa cordi*
4 *Caritas alijs lucens, & ardens, vt alios accendat.*
5. *Stabili ſanctimoniæ tenore.*

Vx ego tuta metu, *nec vento cedo nec imbri,*
Stella mico, vitreo clauſa lucerna globo.

NOTÆ.

1. Globus cryſtallinus. *Vetus & verum eſt rbum: Prouerb. c. 17. v. 24. In facie prudentis et ſapientia. Quis enim illud clari Oratoris 3. de ratore neſcit: Omnis motus animi ſuum quendam natura habet vultum & ſonum, & geſtum animi, ago vultus eſt. Et vt propiùs attingam perſpicuum ſtalli globum.* Facies hominis ſpeculum eſt rdis. *Bern. de modo viuendi. Cui addo illud: Pacati*

cati. In ſpeculo frontiũ imago lucet animorum. *Quam facile in viris ſanctis deprehendas, quorum* … *adſpectus cenſura ſit morum. Certè quotquot S. Lucia*… *vultum intuebantur, neſcio quo occulto inſtinctu ad vir*…*tutis amorem ſe rapi ſentiebant. Quid ergo ſentiendu*… *de S. Ioanne? qui Luciano haud paulò ſanctior, &* *ardentior; nullos non ſui contemplatione ad virtut*… *ſtudium accendebat. Quos putas, oculis radios, quibu*… *animos euibraret, emicuiſſe? quos ardores eius vultu*… *ſpirabat, quem vel adhuc in vtero deliteſcentem Chriſtu*… *propioribus, & acrioribus ſui amoris radijs contigerat* *inflammaratq́ue? Quem ſub hiſpidoſo cilicio, & in ſeuer*… *vultu ad aquas adſpexiſſe, erat ad pœnitentiam inflecti*… Vultus enim ſeuerus (*vt loquar cum Auguſtino*) cuſtos eſt diſciplinæ, atque probitatis. Hic ſ… abſit, velut fax leuitatis vento expoſita, reſtinguitur. *Ideoque in S. Ioanne ſub hilari ſeuero in vultu* *ſecura mens conquieſcit.*

2. Lucerna ardet, *In ſepulcro Olybij & Tulliolæ Ciceronis filiæ reperta lucerna, quæ* 1500. *annos & amplius inibi arſerant, funebri obſequio pijs manibus ſacra. At verò Ioannes, in quo quidam eminebat caſtimoniæ inſignis nitor, & ſanctimoniæ ſplendor, non ſolum à ſepulcro poſteris ſeculis præluxit; ſed etiam in vitâ dum ageret, ſui temporis mortalibus, tum verbo, tum exemplo adfulſit. Nempe lucerna ardens ad cæleſtia deſideria, & lucens ad prædicationes.*

Ioannes

[I]oannes Chriſtum indicat ad aquas.

Emblema 17.

[S]andyx paſcentem veſtijt agnum.

1. Genius indicat digito
2. Agnum purpureum, cui in
3. Capite ſtat mundus ad
4. Fontem.
1. Ioannis in Chriſtum Amor oſtendis
2. Chriſtum in carne, qui tollat
3. Mundi peccata & per
4. Baptiſmum expiet.

AD IOANNEM.

NIl ſonat. Et trahis vſq; chorum, paruuſq; choragus
Ludis, vbi cingunt vincla maligna pedem,
[P]es ſat vbi tremulus, tremulâ præluſerit aluo;
Serea poſt, ſacro ludet in amne manus.
[N]ec ſatis hoc: nitidis agnum quem lauerit vndis,
Indice monſtrabit: *Agnus hic ecce, ſalus*;
[E]cce, ſalus. Mundi piat agnus hic omne piaclum.
Hinc noua pax terris gaudia ſera vouet.

Vox mundi redimendi ad pacem.

O Valeat, triſtes mihi quæ manus indicat horas,
Hac mihi pax ſignas, aurea ſæcla manu.

N O T Æ.

Agnum. *Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.* Virg. *Purpureus agnus vbi naſcitur, omen eſt imperij.* Vide vitas Cæſarum ex Vopiſco, & alijs.

Ioannes

Ioannes in deſerto Chriſtum canit & ſuos auditores ad ſe trahit.

Emblema 18.

Hîc ſacer in ſyluis Orpheus cani

1. *Orpheus*
2. *Cum cilicio,*
3. *Dextra plectrum è ſpinâ,*
4. *Lauâ citharam tenet cum ſeptem chordis,* (*inſcriptum ſit in*
5. *Roſa*
6. *Nomen IESV. Sedet in*
7. *Colle in ſyluæ medio, è qua*
8. *Feræ capita exſerunt, ijs*
9. *Pedes in manus humanas abeunt.*

1. *Ioannes*
2. *Camelorum pilis horridus.*
3. *Vita aſpera victu.*
4. *Septem dona Spiritus ſancti ſuadet ijs, qui ſe a* *diunt,*
5. *Suauitas eloquentiæ in Ioanne.*
6. *Quod canit, & populos edocet in*
7. *Deſerto ad montem, vbi eius ſpecus,*
8. *Vitijs obnoxij*
9. *Incipiunt recte viuere, & viam virtutis inſiſter*

AVritas viduis deducit rupibus ornos.
Qui Threſſas facili vellicat vngue fides.
Verſat in obliquos latus omnis Hamadryas orbes,
Inſtituitque rudes feſta Napæa choros.

Ne

Nec minus Amphion Cadmææ conditor arcis
Saxa trahit, fabra, ſaxa ſtruenda lyrâ.
Error at Amphion, errorque ſimillimus Orpheus.
Ni dirum magicis ſint ſcelus ambo dolis.
Vera ſed Orphæo depectit carmina plectro
Vox, dociles facili quæ trahit aure feras.
Nec ſolum trahit illa feras, ſyluaſque petráſque
At iubet in mores quâ lubet ire ſuos.
Quin etiam vis, quanta viro, vel gratia fandi eſt!
Inſinuat brutis enthea corda feris.
Quemque pecus Circe magicis iubet ire venenis,
Induit humanis vox modo dia modis.

N O T Æ.

1. Amphion & Orpheus magi, *qui hominum oculos & aures faſcinabant, ex Ægypto abiere in Græciam.* Pauſan.

2. Pedeſque. *Cæſaris equus pedes ſimiles humanis manibus habebat. Accedere eſt credere. Qui credit, accedit; qui negat, recedit, non mouetur anima pedibus: ſed affectibus.* Auguſt. tract. 48. in Ioan. *Ergo pedes animæ affectus.*

Ioannes in Chriſto, vt in horologio vmbratico ſolem ſimul & horam oſtendit.

Emblema 19.

Semper.

1. *Index horologij, in quo*
2. *Sol radios ſpargit ad*
3. *Singulas horas in indicis.*

4. *Manus digito indicat*
5. *Horam duodecimam.*
1. *Tempus vitæ Christi in quo*
2. *Christus sua miracula & doctrinam declarat*
3. *Semper & vbiuis.*
4. *Ioannis index digitus monstrat adesse*
5. *Vltimam mundi ætatem in Meßiæ aduentu.*

AD MVNDVM.

Sapphicum.

HActenus cursu dubio laboras?
Siste iam tandem trepidos tumultus,
Iam datur puri radiosa solis
Lumina cerni.
Anxiæ sorti nihil adlabores.
Scilicet magnæ puer hic perennem
Nunciat Solem, simul & salutis
Indicat horam.
En is, apricas peragrans arenas
Solis obseruat decus, ac IESVM
Ceu iubar pernox digito salutis
Indice signat.

Ioannes digito suo indicat Messiam qui sit viæ dux & salus nauiganti in hoc ærumnoso vitæ salo.

Imago 20.

Error abest stellâ duce.

1. *Pyxis nautica cui*
2. *Lingula mobilis seu radius, qui*

3. Cynosu

3. *Cynosuram in cœlo indicat.*
1. *Ioannes.*
. *Ioannis digitus.*
3. *Christum demonstrat.*

Asclepiadæum.

QVi tentas ratibus marmor, & anxio
Remo solicitas fœta periculis
Neptuni dubio regna sub Æolo,
Incertumque secas iter;
Quo portum teneas, en, tibi nauticus
Magnes, sidereas cui digitus vias
Designat, radioque arguit indice,
Quà dux vrsa ratem regat.
Nescis cœligenis clarior ignibus
Hoc quæ lux digito promicat, erudit,
Quæ stet solicitæ tuta rati Pharos,
Christique auspicio salus.

N O T Æ.

Vti lingula magneti affricata directè omnino non it ipsam vrsam: sic & nulli vlli mortales cul- noxij, vel ante sui partum, vel post rectam i aciem in Christum, vti vrsam, intendunt. At Ioannes qui nec cum peccato natus est, nec vllum am erratum in vita commisit, nusquā variante Christum potuit, vt voluit, intueri.

oannes Vox in deserto ad aquas Christi laudes canit.

Imago 21.

Ecce Agnus Dei.

1. *Organum hydraulum in margine*
2. *Fontis, è quo*
3. *Agnus bibit, cui*
1. *Ioannes ad aquas Salim & Ennon, vbi*
2. *Aqua Baptismi*
3. *Christus Deus homo sese abluit, & fortè etia[m] bibit.*

PLectra vibrant. Subit vnda, sona tuba læta per vnda[m]
Agnus adest. Agnum, dum bibit, vnda canit.

1. Organum. *Tale est videre Tiburi, & Bruxe[llis] in aulâ Principis quod aqua adfluentis impulsu, plectr[o]rum numeroso tactu; & tuborũ per aquas impulso sp[i]ritu, varios eosque suaues numerorum figurat modos.*

Ioannes ad aquas Baptismum, & vn[a] Christi nomen celebrat.

Imago 22.

Christum sonat amnis, & omn[is] arundo.

1. *Fons monte salit, è quo*
2. *Riuus defluens efficit*
3. *Lacum, in quo enatæ*
4. *Arundines ad*
5. *Zephyri auram, resonant,*
6. *Christum.*
1. *Christus è quo*
2. *Gratia baptismi dimanans conficit*

3. *Sacr*

3. *Sacrum lauacrum, è quo renati*
4. *Homines prius instabiles à*
5. *Spiritu sancto edocti, profitentur*
6. *Christum, & Christi fidem.*

Anacreonticum.

DE fonte qui perenni
Riuus fugit, caditque,
Mendicat hinc fugaces
Et vsque, & vsque lymphas,
Queis Naiados, Palilque
Pascat sitim, famemque.
Aut in lacum resorbet.
Frequens arundo Nymphæ
In frondeam coronam
Viret, viret per vndas.
Sed vox arundinetum
Dum personat perenni
Vox administra Verbo
Identidemque Christum
Recantat has ad vndas;
Ad hanc & ipsa vocem
Nunc erudita discit,
Arundo & hinc, & isthinc
Loqui diserta Christum.
Loqui diserta Christum.
Canora quæ virentes
Comas in ora mutat,
Blandis vbi flabellis,
His insusurrat aura,
His insusurrat aura.
Vale Mida, valete
Aures Midæ, valetò
Syrinx inane nomen,
Arundo vox inanis
Inanibus sub auris.

 Nunc

Nunc hoc arundineto
Felix honos aquarum,
Cœliq́ue amor ſonabit,
Hîc voce ſub magiſtrâ
Chriſtum ſuum magiſtrum,
Chriſtum ſuum parentem,
Has qui dicat perenni
Sacras aquas ſaluti.

AD CHRISTIANVM.

Iambicum & Anacreonticum.

VOx vna Chriſtus perſonat
Lacus, arundineſq́ue,
Fauonijq́ue ſibila
Argutat aura Chriſtum.
Si diſcit & Chriſtum loqui,
Sonatq́ue arundinetum.
Quis neſciat nunc eloqui
Chriſtum cliens canorus?
Et nunc pudor prô impudens!
Ad has ſilebis vndas?
Bruti pudet ſilentij
Pigetq́ue, Tam nefandum
Ergo ſilebo dedecus,
In improbi dolorem,
An in pudorem? quem decet,
Decus loqui Tonantis.

NOTÆ.

a Vbi tondet *Miniſter Regius Midæ regis* [caput]; *deprehendit in eo auriculas aſini. Is ergo* [se] *abdit in arundinetum, & indidem exclamat*: Au[ri]culas aſini Midas habet.

b Syrinx *Virgo vbi fugit ad amnes ſui* [pa]*ſtructas inſidias; in arundinem mutata fuit.*

Ioan

oannes ad aquas Salim omnes mortales ad pœnitentię ſtudium impellit, qui ob id Baptiſmum expetunt.

Emblema 23.

ox Domini ſuper aquas. Pſ. 38.

1. *Caput inter alas Cherubim*
2. *Ventulum proflans. Sub quo*
3. *Fonticulus rotundus commouetur, &*
4. *Circulos rotundos agit.*
1. *Ioannes*
2. *Concionans, vnde*
3. *Oculus mouetur ad lacrymas. Vel*
4. *Aquæ Salim mouentur perpetuò pœnitentium concurſu & motu.*

Aſclepiadæum.

INdormis placido Nympha ſilentio,
Et læuum vitreo pumicat æquore
Marmor, fluctiſoniquе immemor Æoli,
Vernos ſemper agit dies.
Sin autem tacitis appulit aduena
Stagnis forte ſonor; tum reſidem ciet,
Ceu ventus, rapidis Naïada fluctibus,
Queis fons æſtuat inquies.
Sic tranquilla diu dum vada perſonat
Vox, Ennon riguis quà madet imbribus,
Riuos mobilibus feruere cerneres,
Queis tingunt populos, aquis,
O quæ nobilibus gloria fontibus
Hac de Voce, Deum quæ ſonat, adfluit!
Eſt cur inuideat Nylus & aurifer
Ganges, Naïadum decus.

 NOTÆ.

NOTÆ.

1. Vox Domini super aquas, *Ps.38.intelligun Græci PP. de Patris voce, in Baptismo. Latini (Christo ab ipso suo baptismo annunciante baptismun Vnde nec incommode possit intelligi de S. Ioanne, q vox Domini in deserto, etiam & super aquas Sali & Ennon, & super homine de quibus sapiens Th cuitis. Omnes tanquam aquæ dilabimur.*

2. Fontem Hebræi *vocant Ayn, id est oculu & ab eadem figura etiam litteram Alphabeti.*

3. Fons Arethusæ *in Scillatino territorio, tacente tacet. Sed te loquente sic commouetur, vt p tes feruere.* Cassiod.

Ioannes impijs timorem diuini iudic incutit, & ad pœnitentiam excitat

Emblema 24.

Vox Tonutrui in rota. Ps.73.n.

1. *Nubes atra, & in eâ*
2. *Rota ardens, è quâ*
3. *Fulmen nubem discindit, &*
4. *Petram disijcit plenam antris, vnde*
5. *Mira monstra & beluæ*
6. *Telis igneis fixæ diffugiunt,*
7. *Ad fontes.*
8. *Terræ tremor montes subuertit*
9. *Et aperit fontes,*
10. *Terramque complanat.*

1. *Te*

1. *Terror Numinis,*
2. *Stato tempore perennis vindictæ cursus.*
3. *Ipsa vindicta eiusque telum,*
4. *Mundum contumaci superbiâ obduratum in quo delitescunt*
5. *Impij varijs vitijs beluinum in morem vitam trahentes.*
6. *Isti metu diuini iudicij & orci confugiunt ad*
7. *Salubres pœnitentiæ lacrymas, & Ioannis baptismum*
8. *Vbiuis in terrenis Adæ filijs animorum motus. Superbiam deprimit, & sic mons humiliatur.*
9. *Lacrymas pœnitentiæ excitat.*
10. *Vt inoffenso pede viam mandatorum Dei decurrant pœnitentes.*

Horatianum.

NVbes coruscis implicat ignibus,
Et inde partus fulminis igneos
Excludit vltor, qui minaci
Saxa quatit tremefacta telo.
Hinc Vox sonorâ detonat è rotâ
Emoliendis horrida rupibus,
Cœli & procelloso tumultu,
Horrificos glomerat fragores.
Et sese ab imis emouet inferis,
Tumultuoso non sine murmure,
Infame dedignans Promethei
Terra genus, scelerumque molem.
Quin & superbis præcipitat iugis,
Imisque adæquat vallibus arduos
Montes repente, queis perennes
In lacrymas iubet ire fontes.

 Et

Et vox vt iræ conſcia vindicis,
Erupit alto clauſa diu ſpecu,
Et fulminatrices tremendo
Igne minas vibrat in ſceleſtos;
Dum demum ad iras numinis igneas
Corda icta fibris euibrat anxijs
Terror Tonantis, vt perennes
Extudit ad lacrymas dolorem;
Emota tellus omnis, & omnibus
Timor timendus mentibus incubat;
Dum terram ab imo quæ dehiſcit,
Solicitat tremor in ruinam.

N O T Æ.

Pſalm. 73. Genuinus ſenſus eſt, quem ap Exodi c. 14. n. 10. Vbi reſpiciens Dominus ſu caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nu exercitum eorum interficiens ſubuertit rotas c ruum. Ferebantur illi in profundum. Vbi Illyric Pſalterium in rotis. *Vti & Symmachus: quaſi di inuoluêre fulmina rotas, equos, equiteſque, & vt c dibile eſt, contremiſcente terrâ & mari in præc arma, viroſque deuoluit. Et certè tonitrui fragor cum Auguſtino etiamnum puerulo quis credat ro rum ſonitum, vbi currus ſe dant in campos, & p currere, præſertim ex altò, incipiunt.*

Quare cuique concioni ea allegoria & metap ra aptari poteſt, non meo; ſed magni Ponti ſenſu lib. 5. mor. cap 12. Vim ſi tonitrui ſpecies. verò concionatori; ſi rotam quæ vix minimâ parte terræ in puncto attingit. Vt pulchrè Euthym Qualis Ioannes cui vix quidpiam de terrâ adhæ

c inde aliquid petit. Cum sit non nisi vox in deserto. isi dici malis, vox tonitrui, qualis in concionatore lgurãte, tonante, miscente omnia, in rotâ, id est, orbe rrarum, qui (vt Niceph. & Euthym.) est instalis. Quales ij, qui Ioannem, & alios concionatores idiunt.

oannes iræ diuinæ fulmen in impios è cœlo accersit, & comminatur.

Imago 25.

Væ vobis.

1. *Aquila in*
2. *Nimbo,*
3. *Fulmen vnguibus corripit. Sub quo*
4. *Ficus, cuius*
5. *Folijs inscriptum.*
6. *Væ vobis. Vnde scintillæ cadunt*
7. *In globum sparsum*
8. *Sulfuris ramentis & pictum*
9. *Piceis monstris.*

1. *Ioannes omnibus maior*
2. *Arcano irati Dei consilio*
3. *Minas intentat, quibus ardeat*
4. *Stirps Adæ qui ficu peccauit.*
5. *Vanis Adæ posteris*
6. *Terror æterni supplicij imminet.*
7. *Impium mundum obnoxium*
8. *Periculo arsuri Orci; & id ob*
9. *Vitia, quæ, ceu pix, Dei irã accendunt in orco.*

 Horatia-

Horatianum.

VÆ, væ satelles vindicis ignipes,
Monstris & hydris intonat impijs;
Queis deflagrandus æuiternos
Carcer alis superûm furores.

NOTÆ.

1. Aquila in nubibus. *De viro excellenti cuiu virtutem & gloriam nemo adsequi possit. Prouerbi dicitur.* Qualis Ioannes, quo nemo maior.

2. Nimbo. *Arcanum Dei iudicium de nocentis supplicio, & minas Ioannes vti nimbus fulgur innuit & nunciat. Hinc in Sina inter nubes, & fulgura corusca ad terrorem improborum lex lata fuit*

3. Fulmen. *De Basilio, Nazianz. orat.* 20 *Basilij vox erat,* Tonitru, & vita fulmen. *Qui ergo erit ipse Ioannes vox illa Verbo præuia, quod grauissimos illos sempiterni incendij terrores & impiorum capita intonat? quibus non minis Iudæam personat, & ijs attonitam percellit terroribus? ille, cuiu vox prima,* Pœnitentiam agite, securis ad radicem posita est.

5. Arbor. Omnes vt folium decidimus *Scilicet è ficu, quâ Adam peccauit.*

7. Scintillæ. *Sæpè sæpiùs in sacris diuini iudic tabulis apud sacros vates dicitur.* Stillare furo Domini, *quia non totus simul & semel nimbi instar effunditur, sed quasi tenui in pluuiâ huc, & illu spargitur. Quod autem ibi stilla: hic est scintilla.*

8. Su

8. Sulfure. *Apud Iob est qui imprecatur im-*
. Adſpergatur tabernaculum eius ſulfure.
od ſolum ardebit in orco pabulum æterno incendio, grauem odorem, ardoris acrimoniam, & horri- em viſu, & tactu flammam. Ignis ibi ſulfur, & ritus procellarum. *Faceſſant ergo niues, & ver- s ignei ab inferis, quos aliqui comminiſcuntur. teor tamen ibi conſcientiæ edacem vermen ſemper durum.*

9. Piceis. *Pice torrentes ripas Virgilius Ache- nti adſcribit.*

oannes vox & aura, quæ ignem timoris Dei ab orci incendio enatum quaſi flabello excitat. Quo igne ſi quid impurum animis adhæſerit, è cordibus exurit.

Emblema 26.

Vento purgatur & igne.

1. *Auri maſſa informis in*
2. *Fornace decoquitur in*
3. *Purum aurum.*
4. *Vultus in alis Cherubim*
5. *Igni ventum ceu flabello adſpirat, in*
6. *Deſerto.*

1. *Animus rebus terrenis inuolutus,*
2. *Statu pœnitentiæ & ærumna eniteſcit.*
3. *Timor imperfectus, in perfectum euadit amorem.*

4. *Ioan-*

4. *Ioannes Angelus dictus à Malachia c. 3.*
5. *Excitat ad sincerum Dei amorem suis monitis,*
6. *Procul ab hominum commercio.*

Squalida gleba rubro iam sæpe recocta camino,
Exsudat precium diues, & auget opes.
Ignea quid faciunt liquidis tormenta metallis?
De grauido extorquent aurea dona luto:
Sic & amoris opus stygio timor exprimit igne.
Purus ab impuro pectore manat Amor.

NOTÆ.

1. Auri massa. *Plerumque aurum cum agna terra concrescit, & adeò eâ inuolutum squallet; vt nobile metallum informem nigramq; glebam primo adsp ctu quis iudicaret: Sic & cor aquæuo naturæ vit implicatur, Itidem & anima, quæ cum sit nobilissim Dei imago, illique cœlestis origo, vti & ipsi auro ab Sol tamen rerum terrenarum impuris, eâque nobilitate i dignis desiderijs sic adhærescit; vt nihil minus quàm cœ lestem in eâ speciem agnoscas. Adeò è terra affectu, ipsam quasi terram degenerat: & sic natiuus ille nito & diuinæ gratiæ splendor obsolescit. Quia nobilius ign biliori miscetur, & adulterinō contagio suam dign tatem violat. Hæc vbi non, prô pudor! Indignitas? v non Ieremiæ querela & increpatio in cor prauū? Nec v piam, nisi vti rara auri ramenta, perennis puritas (qua lis in Ioanne) enitescit. Qui vel abs teneris vnguicul ab omnium hominum improbo commercio segregat vnius Dei sese addixit obsequio, & nullius rei alteri desiderio se teneri sustinuit.*

2. Form

Fornax. *Putidus sim, si velim huc è sacris libris ures fornaces struere, & congerere: vna sit mihi instar nnium, quæ nostrum Ioannem propiùs ni fallor, attin-it, sed hæc quænam sit? quæso mihi differe. Apud Ma-ichiam eam deprehendi. Vbi pluribus de hoc vate va-cinatur. An non ibi vides, & audis Malac c. 3.* Ecce gnis conflans?

Quis autem ille ignis, nisi Dei timor, quem improbis animos excitat, fouet, accendit. Ille Angelus, Verbo terno prauius. Qui passim clamat: Agite pœnitentiam, r imprecatur, quibus securis ad radicem sit posita, vt in nfernum, non vt Abiron, Core, & Dathan exstincti in pso terræ hiatu; sed viui descendant; vt ex orci incen-ijs eas huc timoris scintillas deferant, vnde in medita-one sempiterni supplicij exardescat ignis, sed amoris & urioris in Deum affectus, & pulchritudo animæ enitesc-it.

3. *Vbi aurum in fornace purgatur, auripigmentum niscetur, & vnà concoquitur. Porro necesse est, ter, qua-erue percoqui, quam diu enim aurum ad purum non eliquescit, tamdiu non subsistit & quasi veneno misce-i indignans despumat quasi in iras, aurum, seq; violari rguit: Sic vt omninò liquidus, & purus Dei euadat mor, opus est, & intentionem, & ipsum opus, & cæ-era operi adhærentia sincero affectu sæpè sæpius quasi de-oquere, & ab omni labe secernere.*

4. *Quid est Vox nisi aura volubili linguæ flabello & mpulsu palati expressa, dentibus distincta, lingua re-ulsâ, labijs effusa, & exclusa, quæ sese vti ventus in orbē*

diffundat

diffundat; ad aures appellat; & inde in obliqu aurium meatus deuoluta, sese cerebro mentique p sensum communem insinuat: vnde altiùs in animu illapsa, quis satis pro dignitate explicet, quos ibide excitet ardores? tum maxime, vbi aliquē spiritus suo r git imperio, horribili terret exitij supplicio, & eam vi Sanctorum mentibus imprimit, qualem in S. Ioanne e deprehendere, vt eodem afflati spiritu, hactenus pristin inuolutos vitijs pœnitentia salubri consilio, ad puriore Dei amorem, & morum innocentiam tandem aliquan do perducant. Et quasi in purum & ignitum auru cui Dei adspirat gratia, decoquant: Et iam, quoru impura sunt amplexi scelera, & secuti vestigia infelic eorum exitus perhorrescant. Seque ipsos oderint, v Deum ament.

Ioannes metu mortis iam, iam immi nentis absterret impios ab mundi affectu, & impellit ad pœni- tentiæ curam.

Imago 27.

Tempus agi rem.

1. *Horologium, cuius*
2. *Campana caput mortis crystallinum, quod*
3. *Malleus minatur ferire.*
4. *Index pro radijs qui horas indicet, sagittas præ tendit.*
5. *Sagitta grandior designat*

6. Horam

6. *Horam duodecimam.*
7. *Serpens caudam suã admordens cingit horologium, sub quo è*
8. *Filo purpureo dependet*
9. *Palmæ ramus in circulum inflexus: huic*
10. *Gladius geminus flammeus sibi decussatius implexus*
11. *Inscriptum rami circulo. Nec pœnitet?*
1. *Vitæ decursus in quo*
2. *Mors omni horâ.*
4. *Dei decretum.*
4. *Mortis metus, cui vbiuis & semper obnoxij omnes sumus.*
5. *Articulus mortis denunciat*
6. *Vltimam horam.*
7. *Æternitas, quæ omne tempus includit.*
8. *E vitâ quæ consistit in sanguine.*
9. *Beatitudo æterna omnium malorum victrix*
10. *Mors animæ & corporis æternis in ignibus.*
11. *Quis furor mi Christiane tam præcipiti & ancipiti animæ negotio & periculo semper indormire, vnde beata vel infelix pendet æternitas? ô rerum ignaræ mentes!*

Qvæque dies suprema venit, nec pœnitet? audi,
Quæque quid hora monet: palma vel ensis adest:
ige, Palma viret, rubet ensis vterque corona
Cingitur. Hinc discors it cruor, inde merum.

N O T Æ.

E palmâ vinum exprimitur.

Ioanne

Ioannes acriter sic increpat impios
Genimina viperarum, quis vos docuit fugere ab irâ venturâ?

Imago 28.

Crebris micat ignibus æther.

1. *Nubes aterrima ceu pix,*
2. *Ignes depluit cum iaculis igneis, in*
3 *Viperas defixas, telis igneis, vel ambusta circà*
4 *Aram stantem in*
5. *Monte.*
1. *Vindicis minæ.*
2. *Iræ vltricis opus, & pœnas in*
3. *Impios Pharisæos & Sadducæos incumbit.*
4. *In Mosaica lege, quam explicabant*
5. *In monte Ierosolymitano.*

Horatianum.

IMpune quid non prô! temeraria
Vis ausit orci, cui furor imperat?
Grassantur impias ad aras
Monstra, draconigenæ & phalanges.
Diffulminandis igneus anguibus
Terror Tonantis sed simul incubat.
Qui de minacibus quadrigis
Prouoluit grauidas procellas.
Nec est coruscis vt trahat ignibus
Moras parato promta periculo
Vindicta. Flammeis adurget
Attonitos jaculis dracones.

Vt fract

Vt fracta telo monstra trisissili
Deuoluit atris ardua nubibus
Vltoris ira. Deflagranti
Illa gemunt Erebi sepulcro.

NOTÆ.

1. Viperæ *morsus intra septem horas, vel certè *à triduum mortem accelerat. Pharisæi suis *erstitionibus intra septem ad ipsum vsque Sabba*m dies animas mortiferis noxis obligabant contra* *s. Vt patet sæpè in Euangelijs.*

2. Virulento *dente pestem plagis infundit. Ka*nia pestilenti morsu alterius præsertim Christi* *am appetit, præ inuidiâ, quâ rumpuntur in Mes*- *Pharisæi, viperarum genus impijssimum.*

3. *Mirè vini est appetens, Plinius, nec minus* *ibidinem effusa. Vnde illi tot caculi, seu ge*- *ina viperarum Putasne Pharisæos qui primos* *iunt accubitus vino abstinuisse? minimè putane*- *Et hoc oleo quis nisi libidinis caminum accendi* *imet?*

Imago 20.

Pœnitentiæ fructus.

1. *In nube serenâ & purpureâ in cuius medio consistit*
2. *Oculus, è quo*
3. *Ros defluit in*
4. *Florulentum hortum, quo exclusæ*
5. *Viperæ fugiunt.*

6. *Ara adolet odores, in medio horti qui*
7. *Flores imbuant suauiori aurâ.*
1. *Dolor sanctus, è quo conscientiæ serenitas.*
2. *Pœnitentiæ sancta & pura intentio: vnde*
3. *Lacrymæ imbuunt*
4. *Animum plenum pijs desiderijs:*
5. *Vitia excedunt.*
6. *Pietas.*
7. *Pia desideria Dei gratia adflat, & gra-*
reddit.

Vipereæ excedunt pestes.

Horatianum.

Caliginosis vt sat inhorruit
Nimbis sepultus, seque Diespiter
Subduxit, armauitque sæuos
Fulmineis radios sagittis:
Nunc purpurantes vndique cerneres
Nubes decoro non sine lumine
Fulgere, & inclusos serenum
De fluere hic oculos in imbrem.
Siticulosæ iam riguis virent
Aquis arenæ. Læta nouis Ceres
Adsurgit vuis. Purpurascit
Spina rosis, violisque tellus.
En, ara fœdis pura draconibus
Castis odorum thus adolet focis.
Et flos odoratis süaues
Haurit hians animas ab auris.

E

Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Emblema 30.

Grauido de palmite gemma Truditur.

1. *In cœlo crater ſtellatus.*
2. *Vitis adligata palo.*
3. *Illacrymans &*
4. *Gemmas germinans*
5. *Reſeces palmites humi ſtratos ignis abſumit.*

1. *Gaudium Angelorum in cœlo de vno pœnitente in terris.*
2. *Animus olim diffluens, ſeſe nunc arctiori diſciplina adſtringens.*
3. *Fletus è pœnitentia.*
4. *Spes bona boni gaudij è pura conſcientia efflo-reſcit.*
5. *Vitia reciſa. Amor diuinus è fibris exurit.*

Vſpice. Stellatus crater promittit Iacchum
Purpureum: denſo ver vbi flore viret.
ıcrymas lippo diſtillat cortice vitis
ıucia, quo lacrymis gaudia ſera bibat.
ıice pubentes grauido de palmite gemmas
rudit agens. Gemmis purpura grata ſubeſt
: nunc ſe tenero puber lanugo racemo
iduit, hæc Bacchi partus amœnus erit.
:rymæ, & cæſis vitis meruere flagellis
ılnera. Vt hinc vitæ gaudia tuta fluant.

NOTÆ.

1. *Sidus in cælo crater super caudam Hydr*
Porrò lacrymæ pœnitentium vinum Ange
rum est.

Imago 31.

Securis ad radicem posita.

1. *Pulcher calathus cum ficubus inter alas in aë*
2. *Ficus cum fructibus viret.*
3. *Cuius folijs inscriptum*
4. *Quàm mors amara.*
5. *Mors apparat securim adamantinam imo tr co in*
6. *Mediâ strage arborum.*

1. *Dulces olim pœnitentium fructus.*
2. *Homo mortalis viget.*
3. *In caducarum rerum damno*
4. *Amaritudo in morte, quâ nulla tristior.*
5. *Periculum extremum, & id quidem incuit certi exitij.*
6. *Inter omnium mortalium mortes & ruinas.*

Crudelibus occubat vmbris.

Horatianum.

AMœna ramis de viridantibus
Blanditur arbos, atque oculos trahit
In lacrymas quos mors resoluet
Horrificæ ad sonitum ruinæ.
Minace dextrâ mors adamantinam
Ficu securim, prô furor! anxiæ
Supplantat, intremiscit anceps
Arbor ad excidij periclum.

R

Refusus imis, & timor, & dolor,
Gauis medullis transit in obuias
Frondes, aratque amarulentis
In folijs memores querelas.
Vt perspicaci lyncea lumine
Huc ora flexi; quod lego, proloquar?
Quam mors amara sub scelestâ
Arbor vbi trepidat securi!
Sed ô querelis parce! sub improbâ
Quid arbor horres vulnera dexterâ?
Virtus superstes poma amaris
Dulcia de folijs reportat.

N O T Æ.

. Calathus. *Delibarat vt opinor, & cum suaui u, earumq; fastidio respuerat ficus, ille qui dixit,* endit mihi Dominus & ecce duo calathi ii ficis positi ante templum Domini.

. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, olent ficus esse primi temporis, & calathus ebat ficus nimis malas quæ comedi non pont, eò quòd essent malæ. *Ier.* 24. *Litteram si es*, bonæ ficus erant *Iudæi cum Iechonia à Naodonosore Babylonem abducti, iam ad bonam frueonuersi*: malæ verò ficus *ÿ, qui Ierosolymis cum chiâ impio impij remanserant: & quidem hic ca- u ante templum. Quia in eo omnes fiduciam suam abant Iudæi & ÿdem Iechoniam irridebant qui id dæis dediderat. Vt patet Ezech.* 11. *v.* 15. *&* 16. *t etiam dici inter cætera, quæ pro templi foribus bant, venales etiam ficus fuisse. Vt cuiuis in promtu quod Deo afferret. Nefas enim sine munere templo*

 Mystico

Mystico verò sensu ficus Adæ posteros designa: Iam inde enim quò primus homo ficulneis folijs pud rem suum prætexuit; cæteri homines ficus natura induerunt. Monente Augustino 30. serm de Ver Domini; & vt Ambrosius de Parad. c. 13. Trat misit peccatum ad posteros, ceu vestem fici neam. *Nimirùm è ficu Adam peccati pignus dec psit. Porrò bonæ ficus, probi; & quidem ad te plum, quia rebus sacris inhærent. Miram enim s cti è diuinis beneficijs & probæ conscientiæ testimo suauitatem degustant, & inde liquidissimam vo ptatem hauriunt. Petrus Damianus idcircò D. N colaum ficui comparat.* Et quidem vt solent fi esse primi temporis; *Duplex enim ficus est gen Vna semel quotannis septembri mense suos fru maturat. Altera verò bifera quæ & in Iunio & Septembri promittit, & donat sua colono cult præmia ea autem quæ Iunio decerpitur, longè s uiori gustu palatum imbuit, quàm Septembris fic Calidà enim cum sit ficus ardentiorem sibi quo pe quatur, solem exoptat. Vti etiam ea ficus, quæ ptembri legitur, præstat autumnali & serotinæ fi quæ languida fatuo gustu, exilis, suà maturitate m cescit. Improbi autem malæ sunt ficus, & immat quibus dulcioris succi sit nihil; itidem improbis n conscientiæ suauitas, nec vlla iucunda è pristinis noxis memoria, nedum gratum cum alijs comn cium: quisquis enim se dat vitijs corrumpend necesse est, vbi breues & dulces illæ deliciæ defl rint: noxæ non nisi acerbum è sui damno dolore*

at

mo relinquant, quem nemo sine grauissimo fastidio, sui odio sustinere possit.

Nimirum, vt aliquid ex Homero delibem; Ioui inum adjacet dolium. Mellis vnum, fellis alte-. Vbi nequam homines guttam mellis inde primâ uâ prælibarint, protinus toto fellis hauriunt dolio. ipsâ morte amariorem è mortis metu trahunt im.

.. Ficus *homo mortalis. Quid frequentius quàm inem arbori comparari? vel ipse cœcus id dixerit, vidit homines vt arbores (nempe bifidas) ambu-es. An non & homo illa ficus, ad quam Saluator ssit exploraturus, num fructum aliquem toto ipso nio protulisset, vel inposterum promitteret, alio-xscindendam?*

;. Folijs. *Prorsus aspera & amara sunt ficus ; cæterum sub ijs, quem dissimulant, dulcissimus escit fructus, qui primæuo parenti fallax peccati bra & posterorum perennis dolor & noxa exstitit : è folijs tum obuijs sibi consuit in pudoris solatium ii erroris piaculum hispidam togam, puta ciliciū, quem è ficûs fructu noxiè blanda dulcedo pellexe-n fraudem, inde eam folij eiusdem arboris amaritu-bstergeret expiaretque, & dignos pænitentia fructus o alioqui sterili & amarulento eliceret. Vnde haud um, quin æternam nunc degustet voluptatem & in-nnem omnis gaudij securitatem. Vt enim quidquid subest ficûs folijs, id omne ipsū in ficûs succū effun-: sic si qua sit in pœnitentia aspero quidem sed sa-studio amaritudo, ea in suauis diuinæ gratiæ abit*

effectus , & animæ delicias amaris è lacrymis eliquescit.

4. Mors amara. *E Christi sanguine (vt vetus est fama apud Hegesipp.) arbor enata fuit, cuius folijs inscriptum natiuo stilo.* Quàm amara mors. *Sed id certiùs è sacris paginis huc transscribas,* O mors quàm amara est memoria tua homini pacem in substantiâ suâ habenti: *Nimirum cùm dolore amittitur, quod cum amore poßidetur. Certè noster Ioannes Tollenaere in polito illo eruditæ vanitatis in Ecclesiasten speculo ait: Se nouisse hominem sic delicijs, diuitijsque implicitum, vt cum anima summis iam penderet è labijs, & foràs emineret; iusserit se in sella in horto suo amœnißimo circumferri, vt eum extremùm intueretur, vbi tum intermortuis verbis cum Deo sic expostulare non erubuerit: Vt quid mihi terram eripis, cum numquam tuum ambierim cœlum? Et sic miser vtroque æternùm fortè excidit. Næ ille infelix! cuius omne virtutis studium in vitium degenerat, & inde acerbißimos sibi reseruat dolores, siue perennem noxiæ conscientiæ amarulentiam. Cuius aures identidem ceu ferreo conuitio verberat, & cor vrit illud Hebræi Regis oraculum,* Mors peccatorum pessima, *Psal. 33. n. 22. Videtur Sauli id Dauid prænuntiare. Verùm & de quouis impio potest intelligi. Vt videre habes de impijs regibus, hæresiarchis, alijsque scelestis. Et quidem potest accipi etiam sicut censet Basilius de vitâ impij. quæ sit mors animæ, sic & Bern. 82. in Cantica, sed Vrbanus IV. Psal. 50 accipit de 2. morte. Quæ* mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, cui mors semper viuit, finis

sempe

ſemper incipiendo. Defectus deficere neſcit. *Addo & de ipsâ morte intelligendum. Quâ de Bern. ſerm. de natiuit.* Mors peccatorum peſſima, *quorum natiuitas mala, vita pejor: pretioſa ſanctorum tanquam fructus laborum, tanquam victoriæ præmium, tanquam vitæ janua & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.*

5. Mors *Omnium terribilium terribiliſſima mors. Ariſtotelis iudicio & quidem veriſſimo. Vt enim arboris cædes radicem, truncum, ramos, frondes, flores, fructus denique, & ſpem ſeminis repente ſecum in perniciem trahit: ſic & mors animam, corpus, ſenſuum vſum, & cætera omnia fortunæ dona, & commoda vno impetu & ictu eripit, atque vno in vulnere millena vulnera ingeminat, quibus nulla vnquam ſpes ſalutis ſuperſit.*

6. Securis adamantina. *Pœnè inexpugnabilis vis adamantis. Vnde & illi nomen; ac proinde quæ habentur inuicta, eâ ſignantur gemmâ, ceu ſigillo vnde illud; vt è profanis quid deguſtem:* Quis Martem tunicâ tectum adamantina. *Quamuis in adamante ea non ſit vis ignium domitrix, quæ malleos omnes reſpuat, vt falsò credidit antiquitas. Iam enim frangi didicit. Tamen ea indomabilis tum ferro, tum igni firmitas, & contumacia mortis adamantina in ſecuri ſubſiſtit. Cujus impetum, & violentiam nemo dolo eludat, vel vllis elidat armorum præſidijs, nec aciem retundat.*

7. Media ſtrage. *Circumſpice quidquid ſolo teritur. Pœnè ſub omni glebâ alicuius premis tumulum. Auſim liquidò aſſeuerare nec mentiar, quouis ferè momento, aut ſaltem breuiſſimo tempore ad 30. hominũ millia toto orbe ſuccidi; vnde immenſam terrarum vaſtitatem,*

& in ea innumeram hominum copiam ritè æstimaris. Et id quidem cum non ad vnius, alteriusue anni cladem, sed quadragesimo sexto sæculo tot bellis & cædibus cruẽtum hoc negotium semper inuicta, lassa nunquam mors egerit, & porrò aget, illa tot regiarum arborum domitrix, & syluarum expugnatrix, cuius securis nullius roboris duritie retunditur, nec vllo vnquam cadendi labore elanguescit: Sed ab ipso. Ducit opes animumque ferro.

Plerique mortalium ad has securis minas, & cœci & surdi de die in diem differunt pœnitentiæ studium. Nemo enim est qui dicat hodiè; sed omnes viuũt quasi cras benè victuri, qui hodiè male moriuntur.

Imago 32.

Ouantes gutture corui Virg.
Cras malè promittunt.

1. *Mors*
2. *Securim illidit*
3 *Arbori iam sauciæ, sub quã*
4. *Puer erudit in caueã*
5. *Coruum; vt discat dicere hodiè.*
6. *Atro in nimbo*
7 *Coruus alius super cupressu cras crocitat;*
8. *Interim mors arborem exscindit, quæ excisa*

9. *Puerum*

9. *Puerum & coruum opprimit.*
1. *Præsens interitus.*
2. *Morbo, alioue casu imminet*
3. *Homini in omnes horas morienti.*
4. *Vir nugis seu puerilibus crepundijs implicatus, ceu puer.*
5. *Animum suum vitijs atrum vult, & non vult iam mortem timere, & eo timore pœnitere hodie.*
6. *Infelix præsagium pluuiæ è lacrymis. Alius æquè suo exemplo monet,*
7. *Semper pœnitentiam in crastina desideria prorogare.*
8. *Mors interim hodierna crastinis votis suspensum occupat, opprimitque ignarum.*
9. *Procrastinantes mors nec opina occupat.*

Phaleucium.

ATer cras vbi crocitat satelles   *a*
Phœbi, vel malè-olens hiat cadauer;
Alto culmine, funebri aut cupressu,
Infelix hodiè cadit dolosos
Ad casses, vbi cras gemet sub arctis
Cancellis, miser ah doloris oscen,
Quem gestit puer erudire mimas
Ad voces, hodiè vt loqui süescat.
Sed cras, cras nisi crocitat sonorâ
Vt cras crocitat alter à cupressu.
Coruus, cui pice tetrior sit ala,
Sed paruus quid agit, precor, magister,
Indignans queritur, fremit, minatur,
Offam substrahit, incutitque plagas.
Sed cras, cras nisi crocitat. Nec vnquam

Sic

Sic mutes, hodiè vt queat profari.
Dediscatue, quod vsque cras recantat
Sic perdes hodie tuos labores;
Dum cras hunc prohibes puer profari.
Hæc inter necis ad grauem securim,
Cupressus trahit in caput ruinam.
Ac coruum simul, & suum magistrum
Arbor quæ ruit, obruit sepultos,
Vastâ strage grauique mole syluæ,
An cras hoc niger ominatur augur?

a *Phœbo coruus adscribitur à Poëtis ob augurium, Cum sit oscen.*

Admonitio ad procrastinantem in negotio pœnitentiæ maturando, cui hæc mortis imago ab oculos ponitur.

Ater quid trahis vsque & vsque coruus
Cui vox garrula, crassa, rauca, balba,
Cras, cras! cras grauidum in graues dolores;
Nec ceu pura gemis columba, & orbus
Turtur, qui viduo toro quiritat,
Quem iustis hodiè piget querelis
Antiquæ scelus expiare noxæ,
Et nescis hodiè breuis sub horæ
Cursu viuere; cras sed vsque viues:
Stultus vis hodiè mori frequenter,
Horis omnibus, omnibusque curis.
At ne nunc doleas, doleto semper.
Hoc si viuere cras sit, ingemisces
Te serò ah hodie mori saluti,
Et cras perpetuum trahi dolorem.

NOTÆ.

1. 3. 4. Mors. *Matth. 3. v. 1. in Græco legitur* Ἐκκόπτεται, *id est, exciditur. Vbi nos habemus excidetur. Et reuera ita est, infantia in pueritiam, pueritia in juuentutem, juuentus in statam viri ætatem, denique stata ætas in senectutem tandem emoritur. Nimirùm mortem in sinu gerimus, quæ securim non ad truncum, non ad ramos, sed ad ipsam radicem supplantat. Quo omnem spem vlteriùs quid boni fructus progignendi, excidat.*

4. *Seneca calamum stringit in viros qui puerilibus circa mundi negotia ludunt studijs. De quo agam alibi.*

5. Coruum. *Improbus de quo Satyris,* Si niger est, *videtur in speciem velle iam iam se pristinis vitijs euoluere, verùm vult, & non vult piger. Si insistas, nunc ergo, fac quod olim fecisse profuerit. Sexcenta prætexet impedimenta. Ecce nolo: vis æternam adsequi salutem? omninò volo. Excute nunc ergo animo omnẽ opum cupiditatem, odium, vindictam, libidinem. Quid hîc responsi? Crastinus viderit dies; ecce iterum nolo, & sic deinceps. Sol adhuc voluitur. mihi occinet. erit aliàs opportunior pœnitentiæ locus. Certam nempe & securam veniæ fiduciam in diuinæ misericordiæ sinu impauidus repono, ex quo illum repentinus nimis quam diu offensi Numinis furor & iusta indignatio excutiet:*

6. Inter Imbres. *Auguria ponit Virgilius* Ouantes gutture *coruos tempestatis obscœnos augures. Ideò & deserta Babylonis calamitas hæc non minima, quã Sophonias 2. Coruus in superluminari sedet, qui alios*

scilicet

scilicet ad funestam domum aduocet, coruos omnes ac nigros, omnes æquè cadauerum heluones, omnes cras inhiantes, præsentium immemores, nec vllum probitatis vestigium relinquentes. Sedet autem in cupresso quæ arbor est funebris & in speciem metæ crescit, vitæ innuat terminum.

7. Alius coruus. *Nulla maior peccandi illecebra quàm prauum in oculis exemplum. Et vbi pudet inter impudentes (vt cum Augustino loquar)* non esse impudentem.

8. *Sera in morte, rarò est vera pœnitentia, vt Augustinus. Sis memor. Ne olim eius neglectum serio & quidem æternùm deplores. Quem iam pridem decebat gemuisse voce columbinâ; coruinâ cras cras æternùm arsurus, ingemiscas.*

Munus viatorium pauperi Ioanni a Amore. Scipio specie decempede efformatus.

Imago 33.

Vox clamantis in deserto: dirigite vias Domini, rectas facite semitas eius.

1. *Oculus irradiat*
2. *Decempedæ, stanti in*
3. *Medio huius circuli punctô, è quo*
4. *Multæ ceu lineæ in orbem procurrunt per agros, è quibus*

5. *Maior*

5. *Maior pars obliqua serpit.*
6. *Semitis curuis curui inserpunt angues.*
7. *Amana sat licet & floribus consita, desinunt tamen in ardentes gurgites.*
8. *Via quadam recta decurrunt; sed rariores*
9. *Obsita spinis, qua tandem ad*
10. *Fontes pulcherrimos subsistant.*
1. *Prouidentia Ioannis*
2. *Legi diuina, & recta rationi inuigilat, &*
3. *Mundo corrigendo, vnde*
4. *Varia vita rationes instituuntur vbiuis.*
5. *Prauum viuendi institutum vsu frequens.*
6. *Vitia, & humiles in terrena affectus, siue prauitas.*
7. *Blanditur quidem iucundis oculorum animique illecebris mundi amor; verum tandem ad orci incendia deducit.*
8. *In virtutis studio stadioque decursus, sed infrequens.*
9. *Molestijs iter perplexum prapeditur.*
10. *Gaudia, quibus animus delibutus facile omnem astum, & anteacti itineris labores attemperat, & abstergit.*

Adonium.

Semita limo
Limite, semper
Curuus vt anguis,
Errat in agris.
Tu mihi princeps
Gloria vatum,

Dirige rectò
Cardine calles,
Qui tibi perstat
Scipio dextrâ,
Apta regundis
Regula campis
Stabit, & ibo
Certa viarum
Strata viator;
Si modò libret
Lyncea recto
Lumine visum,
Ne quid opacas
Visus aberret
Lapsus in vmbras;
Ipse perenni
Viua refulges
Luce lucerna,
Idque perennis
Solis in ortu.

N O T Æ.

1. *Quod oculus corpori, id prouida mens cum gra tia lumine in animo.*

2. Decempedator, *siue finium regundorum ar biter, instar Scipionis, defert manu decempedam, cu in orbem caput sit ferreis quasi dentibus præfixum e distinctum, quorum æquali interuallo oculi aciem i certos & statos fines dirigit. Id quod agit mystico mod Ioannes, qui prouidis suis monitis, suis sanctis operibu mortales instruit, praui vt se corrigant, & rectam vir tutis viam insistant, nec vnquam pristinos in error relabantur.*

3. Circu

3. Circulus. *Vti mundus circulo circumscribi-
ur: sic & impij (qui mundum ambiunt, & sequun-
ur) in circuitu ambulant, Psal. 11. & vbi vario aui
mfracta & difficili in orbem cursu, & recursu iam
ssi & fracti non sine capitis vertigine constiterint;
t vt serò Simonideis lacrymis deplorent, se ne hilum
uidem cœlestem ad patriam iam progressos, eodem
punclo vnde digressi fuerant, subsistere. Quo & è
uncto ad inferna descendunt.*

4. *Varia hominum studia, varios item insti-
iunt viuendi modos, & mores, prout cuiusque cor-
ris temperamentum, vel animi certa inductio, cu-
ditásue persuaserit.*

5. *Subit mirari nonnunquam in vijs, viarumque
ospectu, qui fiat, vt semita obliquæ viatores haud
ne itineris dispendio circumducant: quid dicam?
clamo cum Satyrico:* O curuæ in terras animæ
cœlestium inanes! *addo, & curuæ in terris; quæ
liquæ anguium instar serpitis fluxuoso incessu, toto
e aberratis cœlo. Quod equidem opinor, euenire, ex
o tortuosus ille serpens, qui ab primæua iustitia or-
à primos parentes generis humani, suis insidijs olim
flectere impulit; nunc itidem nos à recto auertit
iere, in auias errorum ambages: vnde & obli-
us gressus ad prima animæ imaginem, ipsum etiam
pus, atque adeò pedes, alioqui rectà currere ge-
ntes, in flexuosos detorquet tramites.*

6. *Vbi non Coluber in via latet, quæ (vti Eury-
e Orphei vxori) calcem viatori virulento morsu
gat, & appetitum inferiorem (quem magnus ab*

Hippone Doctor pedi, quo anima ambulet, ce[...] comparandum) pestilenti vulnere, & vitio c[...]rumpit.

7. *Est via quæ videtur homini bona.*

8. Iustorum semita quasi lux crescens vs[que] ad perfectum diem; *Prouer. 4. quam si qui[s] sibi benè consultum velit, prosequatur. Qui in via e[...] leget inscriptum illi fonti, qui salit in vitam æterna[m]* Iustus in refrigerio erit. *Iam verò quotusqui[...] est, qui sic sapit, vt hanc ineat viam, vix v[...] alterumve reperias.* At stultorum infinitus est [n]umerus: *qui cum facili via compendio, eoque iu[...]do, & securo, rectà eò, quo nos vocat æterni & [i]mmensi boni adsequendi fiducia, possint contendere; [...]lunt tamen, sed seriùs omnino, iam totius orbi[s in]cendio inuoluti, ad Iudicis tribunal seuerissimi, l[...]bri cum vlulatu exclamare:* Ambulauimus [vi]as difficiles. *Et cur difficiles? audi ingemiscentes;* Iustitiæ lumen non illuxit nobis, *Sap. 5.* [...] *quæso, viâ tenebricosâ molestius, injucundius, [per]iculosius?*

Ioannes arbor ad aquas semper sta[n]s, & eurescens; non arundo, ad omn[e]s auras fluctuans.

Imago 34.

Canit ales, & arbor IESV[M]

1. *Philomela canit*

2. *Christum.*

3. *Au[...]*

3. *Auiculæ accinunt id nomen sub*
4. *Cedro altiſſimâ. Quæ adſurgit in ripâ*
5. *Lacûs triangularis. In quo*
6. *Arundines.*
1. *Ioannis pia anima in concionibus*
2. *Chriſtum deprædicat.*
3. *Aliæ piæ Sanctorum animæ, ſimilis pietatis æmulæ ſuccinunt. Sub*
4. *Supremo ſanctimoniæ faſtigio Ioannis;*
5. *In baptiſmo qui in nomine SS. Trinitatis confertur: & quo*
6. *Olim errantes, & inſtabiles homines abluuntur.*

Iambicum dimetrum, & Anacreonticum.

O ille vatum gloria,
  Et Virginum corona,
Quà nulla terris pulchrior,
  Nec ſit, nec eſſe poſſit;
Quid ſemper Ennon, & Salim
  Caſtis aquis inerras?
An hîc arundo fluctuas,
  Par fluctui, vel auræ?
Famæque ludis inquies,
  Sub mobili flabello?
Nil aucuparis friuolæ
  Vel gloriæ, vel vmbræ.
Nec te popellus impulit
  Vanâ fauoris aurâ;
Tu ludus vt ſis inquies
  Fluxis arundinetis.
Procera ſtagni in margine
  Tu cedrus aſtra ſpectas,
Iuxtaque Nymphas nobili
  Hîc euireſcis vmbrâ.

 Semper

Semper virens, ſemper noua
Quam frondè ver coronat.
Audin? canoras hoſpites
Inuitat huc aëdon;
Quid eruditum tinniens,
Sed Caritas aëdon;
Chriſtum canit; par accinit
Et ipſa Nympha Chriſtum.
Sic Näis, aleſque æmulam
Chelyn lyræ maritat.

IOANNIS CONSTANTIA.

Quid exiſtis in deſertum videre? aru dinem vento agitatam?

Imago 35.

Mens immota manet.

1. *Cor ardens ſtat in*
2. *Lunulâ, ſuper erectum*
3. *Axem, quem circà*
4. *Rota alata vertitur,*
5. *Picta pateris, cum nummis aureis, coronis, lancibus; item*
6. *Gladijs, compedibus, & catenis.*

1. *Ioannis animus ſtabilis, in*
2. *Inſtabili vitæ decurſu perſiſtit,*
3. *Solido virtutis ſtudio, & tenore;*
4. *In volubili mundo,*
5. *Opes, honor, voluptas, & fortunæ dona cumferuntur, vt alliciant ad delicias,*
6. *Minæ, & ſupplicia, vt à virtutis ſtudio ſterreant fruſtra ſunt.*

Aſclep.

Asclepiadæum.

COr flagrans radiat, ſtatque volubili,
Ceu ſax fida, rotâ, cedere, neſcium:
Frans quod nulla trahit, nulla vel emouet
Vis, quo iam ſteterit gradu.

N O T Æ.

1. Cor. *Chriſtus interrogat:* Quid exiſtis vi-ere? an arundinem vento agitatam? *Clarè ex-icat quanta, & quam ſolida fuerit Ioannis ſancto in opoſito conſtantia; qui non, ceu arundo, ad omnem uentis aëris appulſum, & imperium ſeſe in omnem rtem facili nutu, & obſequio inflecteret: nec etiam rum cœleſtium inanis fuerit, vt ſolâ virtutis ima-ne, vanam ſanctimoniæ famam, & popularis fauo-i auram aucuparetur. Dic mihi, obſecro, eiuſ-odine vanum gloriæ animal Ioannem credas, quem b horrido cilicio, in deſerto ſeorſim agentem, in-eris? minime verò, quiſquis rectè judicat, id cen-erit; nec id cenſeo. Ille, ille eſt* Lucerna ardens, lucens *cœleſti illo igne, qui nunquam intermoritu-s ſempiterni inſtar ſideris, perennat.*

2. Lunulâ. *Quã lucernã, ſeu cor lucens non quo-lianæ huius vitæ (quæ Luna mutabilior eſt) vices, crementa, & defectus imminuant, augeantque, dum virtutis ſplendorem infuſcent.*

3. Axem. *Stat enim, & ſtabit æternum, vni eo inhærens, qui* immotus dat cuncta moueri. *i & Ioannes, immobili perſtans in virtutis gradu, mnium animos ad pœnitentiæ ſtudium mouet, atque uertit.*

4. Rota. *Quem nec temporis volubilitas, nec annorum circa eum recursus, vti nec mundi volubilis, vel inanis fortunæ solicitudo, ne hilum quidem ab eo, quem semel institit, gradu possit vnquam dimouere.*

5. Picta coronis. *Nedum honoris splendor, opum copia, aut voluptatis illecebræ, vel quidquid auribus, oculisve suaui, adeoque grauiori periculo, blanditur; eum ab virtutis studio, quantumuis aspero, abducant.*

6. Gladijs. *Quod si nullis vnquam ridentis fortunæ blanditijs cesserit; putásne vllis mortis sæuientis cessurum minis? quasi vero id terror e ferreo extorqueat pectore, quod gratia non eblanditur.*

Iustum, & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Nec vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ.

Per me licet, sit ille, quem sapiens, vt stultum irridet. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatio eorum. *Nempe quem volubilium circà se rerum cursus, & recursus nusquam quietum de mentis statu deijcit; cerebrumq; sui vertigine conturbat, & debilitat. Denique suâ volubilitate, ceu rotæ impetu secum abripit; &, vt alteram rotam, animum circumagit. Quo in errore plerique mortalium versantur, & in mundo, ceu pistrino, miseri in circumagenda mola, & aßidua cura seruiunt acerbam, & quidem sponte, seruitutem.*

Ioannis

Ioannis in Christum Amor, illis ipsis, quibus eum adspergit, aquis magis, magisque accenditur.

Imago 36.

Haurit aquis ignes.

1. *Sol, in quo nomen* IESV *irradiat*
2. *Fonti, è quo*
3. *Radij*
4. *Genio stanti in crepidine*
5. *Cor vrunt in aperto pectore.*
1. IESVS *suam gratiam*
2. *Baptismo infundit, quem Ioannes adumbrat suo baptismo.*
3. *Gratia ea de causa*
4. *Animum Ioannis ad quas*
5. *Illustrat, & inflammat.*

AD IOANNEM.

Fons nitet, vt speculum, cui solis inardet imago.
Vreris hoc speculo: quam bene fundis aquas!

Fructus dignos pœnitentiæ Ioannes suo baptismo, & lacrymis pœnitentium elicit.

Imago 37.

Hora fluat; sed semper honos hinc stabit.

1. *Genius ſeſe in*
2. *Stagno contemplatur, cui ſtagno*
3. *Multi oculi è nubecula ſuas impluunt*
4. *Lacrymas:*
5. *Genius in ripa concinnat*
6. *Aquaticum horologium; ſub quo*
7. *Vnà è gutta pendet*
8. *Annulus aureus, cum*
9. *Pyropo.*
1. *Amor Dei adſpirat gratiam*
2. *Baptiſmo Ioannis; in quo*
3. *Pia anima noxas ſuas inſpicientes,*
4. *Eas deplorant.*
5. *Amor diuinus*
6. *Vitæ tenorem per aßiduas lacrymas pænitentiæ inſtituit.*
7. *Vnà è pia lacryma dependet*
8. *Aurea æternitas, in qua*
9. *Amor Dei igneus, & æuiternus elucet.*

Trochaicum purum.

AD Salin aquas, vel Ennon,
Fors Amor comes decori
Vatis, & parens honoris,
Aemulam ſui figuram,
Perſpicace pingit vnda,
Sed vides parum quid vmbræ
Lympidis natare ſtagnis;
Queis & hinc, & inde puris
Appluant genis caducæ
Lacrymæ pios in imbres,
Criminuméne de piaclis;

Hauriunt

Hauriunt opem decuſque.
Hinc Amor ſagax, decori
Semper artifex laboris,
Quid ſtruit ? breues quod horas
Arguat, fugamque vitæ,
Idque de fugace lymphâ.
Hic moræ fluunt, & horæ;
Et volubili ſub vmbrâ,
Lacrymæ, dolor, ſaluſque,
Lympidâ rotâ recurſant.
Aſt, vt eſt Amor magiſter
Mente perſpicace ſolers;
En, rotundat ille guttam,
Vnione puriorem,
Vnde pendeat venuſto
Anulus micans pyropo,
Et perennitas ſalutis.
Euge de meis ocellis
Opto, lympidas per horas,
Vt diu cadas, fluaſque
Gutta pura, gutta felix,
Gutta caſta, gutta gemmæ
Clarior nitore, & aſtro:
Quæ dabis frui pyropo,
Igneaque amoris arrhâ,
Quæ Dei micat coronâ.

N O T Æ.

2. Stagno. *Ioannis baptiſmus non conciliabat gratiam; ſed ad eam ſibi conciliandam prouocabat pœnitentes; qui, vti corpus aqua abluebant; ſic optabant & animam diuinæ gratiæ beneficio ab ſuis noxis expiari.*

6. *Arte Mathematicâ poſſunt horologia hydraulica, vt organa, concinnari. Qualia apud Heronem ſpectes.*

7. Gutta. *Opera nostra semina sunt æternitatis, Bernardi iudicio. Quidni & dixero, vnam seriò pœnitentis lacrymulam, ceu gemmam, æternitatis esse pretium? Imò quid minus est, quam quod vox vna trium syllabarum* Peccaui *orci ardentes fauces præcludat, cœlique auream aperiat portam.*

Ab Adami pomo quisquis iam nascitur, æquæuam ab suo ortu cum peccato mortem, & inde alia peccata in vitâ contrahit.

Imago 38.

Querela læsi pueri --
-- Nocet emta dolore voluptas.

1. *Puer ludit in florido*
2. *Prato, cui clam*
3. *Serpens infligit in*
4. *Calce*
5. *Vulnus.*

1. *Animus vt puer, gestit gaudio,*
2. *Primo æui flore.*
3. *Auctor originalis peccati, dæmon*
4. *E corporis humani, & terreni contagio tangit imos animi affectus, &*
5. *Inspirat peccati virus.*

Anacron-

Anacreonticum.

Amæniore veris
Rudis vagabar hoſpes,
Sed innocens theatro,
Regnoque, quo voluptas
Primæua iam triumphat,
Sub floridis coronis,
In floridâ iuuentâ,
Inter roſas, crocoſque,
Et roſmarem, thymumque,
Et poma, dona veris.
Eheu! ſed hîc malignis
Anguis, ſceleſtus anguis,
Clàm dentibus laceſſit
Calcem, feritque, dirum
Vis peſtilens bibaces
Hinc ſerpit in medullas,
Serpit nouos in ignes.
Nec vſpiam ſalutis
His ſpes viret ſub herbis.
Ah! cui viget venuſtæ
Flos, & decor iuuentæ,
Sic mortis indecoras
Reuoluar in fauillas,
Vt hinc cadam ſub orcum,
Viuuſque ſempiterno
Flagrem cinis camino?
O dira de iuuentæ
Ludo, necis ſenectus,
Æternitaſque mortis

Chriſtus, vbi Ioannes eum, vti agnum, abluit, vim medicam aquis infundit, quibus à ſerpente inflictum vulnus diluit in puero, & in adulto.

Consolatio ad Puerum saucium.

Anacreonticum.

AST hîc vides amœno
Fontem vitro virentem.
His merge pectus vndis,
Huic innatat salutis
Spes, floris instar, amni.
Diri satelles orci
Ne te metat cruentâ
Mors impotens securi,
Nouoque te deinceps
Fraus implicet piaclo,
Fraus implicet dolori.
En, agnus ille sæuos
Hostis potens in hydros,
Hic candidis salubres
Aquis inhalat auras,
Et omne de chelydro
Dispellit hinc venenum.
Hic si tamen sit agnus,
Qui victor in minaces
Sic fulminat dracones,
Sic & triumphat orcum.
Ni sit magis suauis
Hic agnus ante sæuis
Leo timendus hydris.

In Christi baptismo Ioanni innotescit Trinitas.

Quam Ioannes etiamnum materni in corpusculi hospitio demorans ab obuio sibi Christo de SS. Trinitate fidem certam hauserat, eamque iterum in Christi baptismo ceu speculo

è Patris

è Patris voce & ſpecie columbę Spiritûs Sancti imagine didicerat. Tum eam quæ hactenus ſub legis vmbrâ delituerat, de SS. Trinitate fidem cœpit explicare clariùs & longiùs propagare.

Imago 39.

Primus ego non nota loquar.

1. *Nubes, è quâ*
2. *Vox & lux*
3. *Triplici radio. cùi*
4. *Primus aureus,*
5. *Secundus purpureus*
6. *Tertius ſit candidus; dependet*
7. *Speculum cum ſole, qui refulget in*
8. *Aquis.*

1. *Ignorantia Trinitatis hactenus ignota, è qua*
2. *Dei notitia clarior & doctrina*
3. *Tergemina perſona.*
4. *Deus Pater,*
5. *Deus Filius è puriſſimo B. Virginis ſanguine concretus,*
6. *Spiritus Sanctus.*
7. *Deitas vna, & vt ſol, ſola in*
8. *Baptiſmo relucet, qui cõfertur in nomine SS. Trinitatis.*

Sapphicum.

INcubat nubes hilari fluente
Discolor; ternis radijs amoena
Vnde lux vibrat fluuio, triformis
Iridis instar.

NOTÆ.

3. Triplici. *Hactenus obscurum SS. Trinitatis mysterium, Christi Baptismo clarè elucescit. Ideo Baptismus SS. Patribus dicitur Sacramentum fidei. Victor Antiochen. in Marcum.*

Baptismi Christiani gratia toto orbe diffunditur à Christi baptismo.

Imago 40.

Totum fons manat in orbem.

1. *Rotundus collis, in cuius iugo*
2. *Agnus suo pede excitat*
3. *Fontem, qui collem ambiat & inde*
4. *Riuos diffundit per medium*
5. *Labirynthi in*
6. *Rotundo vireto. E quo*
7. *Angues spinis confixi diffugiunt per spinosas sepes, rosis florentes.*
8. *Astra sereno cælo irradiant aquis.*

1. *Ecclesia in qua*
2. *Christus*
3. *Baptismum instituit perpetuum, qui*
4. *Toto orbe diminat*

5. *Inexpli-*

5. *Inexplicabili cum mysterio fidei de SS. Trinitate, quam infundit baptismus,*
6. *Toto orbe. Vnde vigor & gaudium inenarrabile efflorescit.*
7. *Reatus Adæ in posteros transfusus, & inde pestilentes culpæ baptismo delentur, & diluuntur non reditura.*
8. *Spes cæli.*

Trochaicum purum.

LYmpidos trahens liquores,
Fons salit, salit, decoro
Monte, cui secat fugaci
Riuus ima prata sulco.
Vnde confluit niualem
Riuus hinc, & inde concors
In lacum, nitet, natatque
Puriore de liquore
Lympha, lympha digna cœlo.
Si quod hic scelestus atrum
Fors draco vomit venenum;
Vnde dira virulentos
Mors lacu ferat chelydros,
Atque pestis æuiterna
Anxias edat medullas:
Omne virus, omne crimen,
Huc quod adspuunt tot hydri,
Fons sacris saluber vndis,
Expiatque, diluitque.
Macte, macte tam salubri
Balneo puer beatus.
Tuque vir, nurusque concors
Numinis beatus hæres,
Tot prius niger veneris,
Purior rosâ, & ligustro,
Nunc sacris renabis vndis.

Agnus,

Agnus, ad salutis aram.
Hic spei vides, in omen
Astra denatant in vndis.
Astra, sed decora cœlo
Quæ micant, micant sereno.

NOTÆ.

Creditur Christi baptismus eodem quo Magi eum adorarunt die, triginta post annos contigisse: & id quidem dominico die vt August. serm. 154. de tempore. Sed vt Ioannes Lucidus. 7. de tempore feria 6. in Iordane propè Sarthan & Iericho, vbi sicco pede Hebræi Iordanem transiere. Ios. 3. quod Mystice Augustinus explicat. Eo loco templũ S. Ioanni sacrũ exstitit Bed. de loc. sanct. iam inde aquæ Iordanis ex tam puri corporis contactu eam puritatis & integritatis vim hauserunt, vt nõ corrumpantur. Gretser. in Cureop palat. Sed aliam longè majorem sacro Iordani, & inde cæteris aquis dignitatem conciliauit; si non natura, saltem gratia; eamque mysticam. Nempe vt omnia omninò peccata expiarent. Suo enim baptismo Christus vti omnium Christianorum princeps, & auctor baptismum salubri è fonte gratiæ instituit; vnde riui vbiuis, & semper dimanarent. Verùm eius legem & necessitatem ad salutem nõ nisi post mortem indicit. Vt D. Thomas p. 3. q. 26. & fuse Vasquez.

Solemnis ad Ioannem in deserto mittitur legatio, quæ eum interroget, Tu quis es? qui sic ad pœnitentiam vocas & baptismo abluis? Cui ille,

Ego

Ego Vox clamantis in deſerto, ad aquas Ennon & Salim.

Amor Ioannem interrogat, quid ſit.

Imago 41.

Nuper me in littore vidi. Vox ego, deinde nihil.

1. *Lilium, cui inſidet*
2. *Aëdon, cui ſchedula in*
3. *Ore & inſcriptum, Vox ego, ad*
4. *Fontem, vbi*
5. *Aëdonis vmbra innatat, & pellucet.*

1. *Corpus Ioannis neſciens labem niuei pudoris.*
2. *Amor cœleſtis in Ioanne.*
3. *Sui contemtus, & nulla de ſe opinio, quaſi nil foret, niſi vana aura & vox*
4. *Ad aquas, quibus baptiſmum celebrat, vel, ad diuinæ gratiæ fontem; in quo, ceu*
5. *Liquido ſpeculo ſuam intuetur conſcientiam, & ſeipſum.*

TV quis es ab Solymis hoſpes dum quæritat oris;
Hîc vbi Rex vatum balnea pura parat?
Audijt, è niueo qui flore ſedebat ad vndas;
Diuus Amor, ſed tum tinnula factus auis:
Ecquid agis? dixit. *Nuper me in littore vidi*
Vox ego ſum. Quæris cætera? *deinde nihil.*
Vox ego, deſertis vbi clamor oberrat arenis.
Vox ego fuſa vijs. *Vox ego* fuſa iugis.
Et breue quid, dices fateor. Sed maxima voci eſt
Gloria, me Verbum poſſe perenne loqui.

4. Vox. *Aliquis Lacon Lusciniam ceperat ratus aliquid magnum & pulchrum ea in alite se inuenturum, quæ per syluas & agros tam vocali & iucundo cantu ad tot dies resonaret, demulceretque. Verum, vbi nec vllam corporis dignitatem aut coloris gratiam depræhendit: Vox es, ait, prætereà nihil.*

At id ipsum de se Ioannes; sensit, quasi aliud nihil foret, quàm vox siue leuis aëris impulsus, & inde sonus, qui suo appulsu tinnientes impellat aures. Ideoque is sapientior euasit. Nemo enim meliùs de se iudicat, quam, qui se nihili æstimat.

LIBER III.

MORS.

Imago I.

Me oportet minui, illum crescere.

1. *Cedrus altissima in*
2. *Monte Libano, sub qua succrescit*
3. *Cupressus procera, quam*
4. *Manus atra sparsa guttis è nubeculà*
5. *Securi succidit.*

1. *Christus in*
2. *Summo sanctimoniæ fastigio eminet.*
3. *Ioannes, quo nemo inter natos mulierum major, Christo tamen minor assurgit; quem*

3. Mors

4. *Mors violenta*
5. *Gladio Herodis exſcindit.*

Iambicum.

MOntis ſuperbum creſcit arbor in caput,
Hæc illa cedrus, omnibus maior cedris;
Qua nulla celſo ſurget altior iugo.
Illi cupreſtus ſubijcit virens caput,
Sæuâ at ſecurim mors minace cui manu
Supplantat; vt rapace ſub ferro metat.
Hæc inter albo Libani frondens iugo
Cœlos aduſque attollit excelſum decus
Victrix cadente quæ cupreſſu ſtat, cedrus.
Et vſque & vſque ſempiternis de comis
Hîc euireſcit in coronam frondeam.
Nec, ceu cupreſſus, ſacra ſtirps morti cadet.
Quæ lapſa ſi ſit, eriget numquam caput.
Necis mephitim cedriâ ſuâ cedrus
Sed vincet: æuiterna quò fiat parens
Vitæ & ſalutis; & grauis letho timor.
Cedro hâc in vnâ frondet omnium decus;
Et ſpes perennis gloriæ, ceu flos, viret.

NOTÆ.

1. Cedrus. *Regina omniũ arborũ cedrus, cui regia maieſtas è proceritate; dignitas è robore ligni, quod carie nõ ſeneſcit, auctoritas & pretiũ ex raritate: hinc eam ſacræ litteræ ſæpè celebrant ob excellentiam.*

2. *Nuſquam proceriores vel pulchriores cedri quàm in Libano, propè Iudæam, vbi Chriſtus natus eſt.*

3. *Proxima cedro cupreſſûs gloria, quam tamen haud adæquat. Sic & Ioannes, vno Chriſto & B. Virgine minor, cæteris Sanctis excellentior.*

 Cedria

a *Cedria cedri ſuccus, qui à tabe conſeruat res ſibi creditas. Qualis Chriſti Sanguis, qui quidquid in nobis è vitio putidum, vel è morte putridum, aut naturæ corruptela tabidum, omne diſcutit, & integros nunc puro animo & olim corpore conſeruat, & conſeruare promittit.*

Imago 2.

Illum oportet creſcere, me minui.

1. *Oritur Sol, ſeque exſerit penè totum in purpurea nube.*
2. *Phoſphorus ex aduerſo minimâ ſui parte apparet in nigrâ nube. Et,*
3. *Ceu parua luna, in cornua euaneſcit.*
1. *Chriſtus ſuæ maieſtatis ſplendorem, magis magiſque per miracula oſtendere incipit.*
2. *Ioannis gloria hactenus maxima, minuitur.*
3. *Breuiq; occidet.*

Trochaicum purum.

OS vbi polum decorum
Exſerit, diemque pulchro
Pingit aureum ſub aſtro,
Sol nouum redux in ortum;
Creſcit in nouos honores,
Creſcit aura, lucis aura
Pulchrior, dieſque creſcit.
Creſcit herba, creſcit arbor.
Creſcit hora, vita creſcit.
Spes, saluſque, creſcit ægris;
Eruditioque creſcit,
Digna quæ Deo eſt magiſtro.

Phoſpho-

Phoſphorus breues ſed ignes
Colligit, minorq́ue parcâ
Luce ſupprimit malignâ
Aureum iubar ſub vmbra.
Et caput diu rotundum
Lunulæ modo reduncis
Cornibus cauos ad ignes
Aſperat, fugitq́ue cœlo.
Principiq́ue cedit aſtro
Inde quem refert honorem.

NOTÆ.

Vti Phoſphorus nocti orienti, morientiq́ue diei lux affinis, & quaſi medius vtriuſque temporis limes: Sic & Ioannes Prophetarum vltimus & in Euangelicâ Chriſti lege primus. Sic quaſi medius vtriuſque legis interpres enituit, & intercurrit. At verò vbi ſtella naſcentis ſolis prænuntia aliquamdiu cæteris aſtris præfulſerit; tum ſoli orienti locum cedit, qui vbi aureus mundi oculus (vt Ambroſius ait) pulcherrimâ prætextus purpurâ emicuerit, eximio ſuo ſplendore omnium oculos in ſui contemplationem conuertit & quidquid vbique gentium ſtupet, ſordet, ſilet, ſua obſcuro noctis inuolucro, hilari ſuo adſpectu ad iucunditatem excitat, exornat, illuſtrat. Vt cætera Solis vberrima beneficia, vbi vitales quaquauerſus radios diffundit, taceam. Quæ omnia multò clariùs in vno IESV *nomine elucent. Nec ad breuem dumtaxat hujus vitæ vſuram vel dieculæ lucem: ſed in omnem retrò æternitatem, & quidem copioſiori è ſummo bono bonorum omnium affluentiâ redundans, ea demùm felicitas ab hoc Iuſtitiæ ſole dimanabit. Vt tum liceat*

cum aureo illo Doctore Angelico exclamare, O felix æternitas & æterna felicitas! quæ quò vlteriùs crescat habet nihil. *Præsertim cum ille vnicus æternitatis dies, qui omnium sæculorum suo perenni in puncto includit volumina, eo in sole iustitiæ consistat, in quo nullus obscurior næuus purissimam illam lucem violat; vti fit in sole, in quo nuper, haud secùs atque in lunâ, sagaces Astrologi maculas (etsi nonnulli negent) aduertêre. De quo solis vitio, Scheinerus librum edidit: nimirum nihil omni ex parte beatum mortales in terris suspiciunt.*

4. Caua luna. *Deprehenderunt nuper Astrologi Veneris stellam, lunæ instar, nunc in plenum caput conglobari, & crescere, & postmodum in caua cornua retexi, & decrescere. Quod sanè Ioannis è Christi vaticinio bellè conuenit, cum ipse sit natus (vt aduertit Augustinus) circà æstiuum Solstitium, vbi dies incipiunt minui; Christus vero circa solstitium brumale, à quo dies suum inchoant incrementum.*

Emblema 3.

Me oportet minui, illum crescere.

1. *Sol sublimis, sub quo*
2. *Humilis Iris, cui inscribas aureis litteris* Humilis sublimi sole.
1. *Christus.*
2. *Ioannes.*

Sapphi-

Sapphicum.

SOl vbi pronus; decus in ſuperbum
Iris adſurgit: ſed vbi decorum
Sol caput tollit; fugit ima curuos
Iris in imbres.

NOTÆ.

Arcus ſublimis ſole humili, humilis ſublimi. *Plinius l.* 2. *c.*61. Iris exiſtit vbi radius immiſſus cauæ nubi. *Gratia Chriſti Ioanni ſe nihil eſſe æſtimanti niſi quid obſcurũ, infuſa, eũ illuſtrat & ornat.* Repulſa acie in ſolem refringitur. *Se non Meſſiam eſſe fatetur; ſed id nomen in ipſum Chriſtum reijcit.*

Vnde colorum varietas, miſtura, nubium, aëris, igniumque. *Effloret varia virtus in Ioanne, qui mera Vox, & aër, item ignis, vt* Lucerna ardẽs. Certè nõ fit niſi aduerſo ſole(*ſic & nõ niſi in vtero, etiam necdum natus, ab Chriſto ſibi obuio, animæ pulchritudinem hauſit.*) *Hæc Iridis eſt pulchra & breuis è Plinio deſcriptio.*

Ioannes, vbi Herodis animo reprehenſionis aculeum infigit, ob inceſtum cum Herodiade; ſibi ipſi mortem acceſſit.

Emblema 4.

Animamq́; in vulnere ponit.

 1. Apis

1. *Apis defigit aculeo*
2. *Fucum, inclusa*
3. *Coronæ ex apio.*
1. *Ioannes acri stimulo vulnerat aures animumque.*
2. *Herodem incestum & ignauum in virtutis studio arguit.*
3. *Mors & mortis gloria.*

Iambicum.

AD APEM.

INfesta fucus bestia
Adulterino è crimine
Tuos labores subripit,
Pulchrasque curas impedit.
Tu casta, gnaua, prouida
Hospes pudicis lilijs,
An hoc inultum tu sinas
Scelus, genusque adulterum?
Acri scelestam bestiam
Aculeo tu lancinas,
Tuæ, sed heu! dispendio
Vitæ, nefas hoc expias.
Huc iam decora nobili
Te mors coronat præmio,
Pulchroque famæ pignore,
Quam laus propagat posthuma,
In æuiternam gratiam
In æuiternam gloriam.

NOTÆ.

1. *Apis virgo, & nullo satu edita, in primis amans castitatis est & puritatis, ideoque abhorret flores*

flores mortuos, & loca putida, præsertim homines in libidinem, si propiùs ad aluear accesserint, suis configunt apes aculeis, nec odorem talium ferunt. Talis omnino Ioannes, qui exsors peccati, saltem purè natus est, si non conceptus. Et vt apis impura hominum vitauit commercia; cui flos pudoris illibatus, & cui ceu api, sed cœlesti, mel agreste cibus.

2. Fucus,*api insidiatur vel maximè, eiusq; labores depopulatur. Vti & Herodes Ioannis pias curas præpediit, & tantam pietatem carcer inclusit.*

3. Apium *& ex eo corona, funebre Græcis signum* è Plut. in Dione. *Cæterum vt viuax apium perennat (teste Horatio) ita perennis è mortis gloriâ corona euirescit.*

Imago aurea 5.

Eximia in Ioanne Sanctimonia.

1. 2. *Phosphorus irradiat è cælo; sub quo virgo.*
3. *Sol incipit parum oriri, vnde*
4. *Radius in serenos oculos Virginis defluit.*
5. *Corona imperatoria, dispuncta*
6. *Vnionibus; & pyropis; cui insistit*
7. *Philomela,*
8. *Transfixa sagittâ.*
9. *Adamas in fronte maximus.*
10. *Oculi sereni & seueri.*
11. *Rosa in ore, melle sparsa.*
12. *Apes insident. In*
13. *Humeris ala argentea.*

 14. Dexte-

14. *Dexterâ vrnam stellatam aquariam inuergit*
15. *In flores arescentes.*
16. *Lauâ lampas pulcherrima, eáque aurea, gemmisque distincta prælucet.*
17. *Torques aurea contexta apibus, & locustis: è quâ monile, cum aureo vellere, dependet.*
18. *Zona pellicea distincta stellis.*
19. *Cilicium spinis hispidis horridum, intextum tamen floribus.*
20. *Nudi pedes.*
21. *Basis quadra, è quâ per*
22. *Os leonis effluit*
23. *Fons.*
24. *Draconis duplex caput elisum sub base.*
25. *E fonte aues, & variæ feræ è syluâ circumfusâ erumpentes, bibunt.*
26. *Stat hæc imago ad rupem in modum theatri excisam, in qua*
27. *Multi specus, & in ijs capita, in quorum*
28. *Ore schedulæ cum Væ inter ignes.*

I. 2. *Præit Christum nasciturum Ioannes.*
3. *Christi aduentus.*
4. *Gratia in Ioannem diffusa, eumque illuminans;*
5. *Excellens præ ceteris sanctis sanctimonia.*
6 *Eximijs virtutibus illustris.*
7. *Vox in deserto.*
8. *Martyr occidit.*
9. *Vis inuicta, in agendo, & patiendo, nec quidquam reformidans.*
10. *Suauitas in probos; seueritas in improbos.*

11. *Concio suauiter pijs adspirans Dei gratiam, & sanctitatis amorem.*

12. *Arguendi aculeus.*

13. *Agilitas agendi è ieiunio, & leui victu, ac vestitu.*

14. *Aquam sui baptismi infundit.*

15. *In animas salutis suæ sitientes.*

16. *Verbo, & exemplo illuminat, inflammatque auditores.*

17. *Locustis vescens, & agresti melle, meruit in deserto dicere.* Ecce Agnus Dei, *eumque ostendere.*

18. *Castitas adstringens mores, & cupiditates. Vnde pulchra virtutum ornamenta emicant*

19. *Asperum sagum, vnde pulchrior effloreſcit sanctimoniæ decor, & nitor.*

20. *Paupertas in solitudine.*

21. *Constantia.*

22. *Magnanimitas in arguendis Scribis & Herode.*

23. *Eloquentia è perenni concionandi studio; siue, conscientiæ puritas.*

20. *Peccatum primæuum in vtero Elisabethæ extinctum, & id, quod actu committitur.*

35. *Homines probi, & improbi, præ pœnitentiâ volentes aquâ ablui.*

26. *In deserto Ioannes agit inter asperas cautes in speluncâ.*

27. *Ioannes vox, è quâ fama, vt Echo, voces geminat concauis in locis.*

28. *Minæ de æterno incendio; quibus aduenarum aures personat; saxea corda emollit, & ad scelerum dolorem excitat.*

N O T Æ.

4. Radius. In vultu prudentis lucet sapiẽtia *Prou. 17. Chalda.* Vultus prudentis hilaris in sapientiâ. *Et id quidem semper è perenni bonæ conscientiæ testimonio. Et inde gaudiũ, quod è corde ceu fonte purissimo, in vultum, præsertim in oculos, ceu geminum animæ speculum, se transfundit, & indidem hilari cum adspectu pellucet. Qualis perpetua hilaritas in Luciano, Antonio, Basilio, & quod mirêre, in sancto Romualdo, qui totos ipsos 100. annos sub asperrimo cilicio, ac parcè & duriter viuens summa cum vultûs hilaritate decurrit. Vti & Deicola Abbas, qui vbi rogabatur, ecquid causæ, cur semper tam sereno esset vultu? respondit: Quia* Deum, cui vbiuis inhæreo, nemo mihi eripere possit. *Quid ergo in Ioanne Baptistâ, qui Deum nonnunquam manu, sæpè oculis, semper animo tangebat, eique quam proximè se adiungebat, existimabis?*

5. Corona. *Non surrexit maior inter natos de muliere: tum quia sine vllo agnatæ noxæ natus piaculo, tum etiam, quod inde sequitur, eximiâ morum innocentiâ floruerit. Vnde Hieronym. 22. epist. ad Eustoch. Principium Monachorum indigetatur. Sic & Cass. collat. 18. c. 6. & Chrysost. videtur; vt & cæteris sanctis, ceu regia dignitate, præfulget.*

7. Philo-

7. Philomela. *Mera vox suas alumnas numeros canoros ipsa ceu magistra ab alto, in arbore edocet. Sic & Ioannes Vox in deserto erudit suos discipulos, & docet Christum (qui est Verbum æternum, & in quo omnis virtutum concentus) eloqui, & imitari.*

9. Adamas *malleus vniuersæ terræ diabolus Origen. Ierem. 3. dicitur. Sed qui Viros sanctos vti adamantas frangere nequeat. Ideoque Deus Ezechieli, dabo faciem tuam, vt adamantem. Vt non timeas, quod minantur, ipso suo ferro duriores hostes, nec vlli dolori succumbas. Annon & ea Ioannis inuicta magni animi fortitudo, qui eodem à Christo suaues sibi laudes datas, quo & cruentas Herodis minas excepit vultu, & neutiquã ab suo consilio, cui inhærebat obfirmatus, dissilijt à Deo? vnde & cæteri exemplum transsumere, sibi laudi duxere, præsertim magnus ille Basilius, cuius hoc ab suo contubernali Nazianzeno elogiũ imitabatur; naturâ laudabilis, percutientibus factus adamas, dissidentibus magnes. Porro adamantes merces sunt Regum Lusitaniæ, quorum vnus instar nucis veniјt 60. M. aureorum.*

At Ioannes non vulgaris adamas; sed eximius. Qualis ille quem Carolus Audax amisit in prælio contrà Heluetios, & qualem habebat Solymannus, & Isabella Clara Eugenia coniux Alberti Archiducis Austriæ & Belgarum Principis. Quorum singulis pretium 100. M. aureorum. Nota est adamantis vis, & quasi foret penè indomabilis. Ideoque Summus Iudæorum Pontifex ter in anno summis festis pectori suo prætexebat adamantem. Si purus

peccato

peccato foret populus, & Deo gratus; hilari luce enitescens emicabat: sin autem Deo inuisus; quasi quodam nubilo obsolescens lugebat. Certè Summus Pontifex Romanus, dum solemni ceremoniâ facit, crucem ex adamantibus pectori prælucet, vt sibi in agendo vis summa & in patiendo sit inuicta. Ideoq; id Cosmo Medici symbolum. Sed in nostro Ioanne quasi peculiaris ea patientia effulsit in totius vitæ laborioso ac molesto decursu, & tam cruento occasu.

11. Rosa. Rosas loqui, *Prouerb. Vti &* mellefluens oratio; *qualis Nestoris, de eloquentia dicitur.*

12. Apes. Apis Attica *Prou. mira dicendi sit suauitas; vt aures, animosq; influat. Sed nec desit aculeus, quem ijsdem, vbi crimen arguit vates, vt infigat, & voce facundissima & potentissima acerrimos pœnitentiæ animis inurat dolores.*

13. Humeris. *Alas adijcit animo ieiunium. Corpus enim quod nullâ grauatur crapulâ, purâ mente perspicit omnia; promtiùs capit; & agili corpore, quidquid libuerit, expedit, atque alacri animo ilicò suas functiones exsequitur.* γαστὴρ *enim* παχεῖα μὴ τίκτει λεπτὸν νόον *pinguis venter non gignit sensum tenuem.*

14. Dextera. *Baptismus Ioannis esto per se nullam infunderet gratiam; tamen erat pœnitentiæ professio, quæ gratiam reis conciliaret, & ideò cœlo dignos redderet*

16. Læuâ: Lucerna ardens exemplo, lucens prędicationis verbo. *Gregor. 11. in Euangel* Tantũ

lucere,

lucere, vanum; ardere tantùm, parum; ardere, & lucere, perfectum. *Bern. in Psal.* 16. *Vt autem lucerna in templo coram tabernaculo ardebat, sic & Ioannes lucerna coram Christo; cui oleum Spiritus sanctus infundebat. Quin & vti Regibus Persicis, & Romanis Imperatoribus præferri solebat ignis, siue lumen in signum maiestatis; sic & Ioannes Regum Regi præluxit; ad cuius imaginem elucere visus Athanasius.* Qui oculus mundi, præses sacerdotum, dux virginum, & confessorũ, Vox sublimis, firma fidei columna, post Ioannem Baptistam secunda lucerna, lucens, & ardens. *Nazianz. 21. orat. de laud. Athan.*

17. Torquis. *Insigne nobilitatis, quæ & in Ioanne, à parentum gloria in ipsum transmissa, elucet; tum à nobili generis Aaronici splendore, tum à sanctitate parentum, & sua. Pulchrè de hoc pulchro bono Ambros. lib. de Noë c.4.* Probi viri genus, virtutis prosapia est. *Vide ibi plura. Vti Burgundicus torques è silicibus aureis & ignilibus; Francicus S. Spiritûs, è cochleis aureis concinnatur: quidni & ex apibus, & locustis aureis possit torquis detexi?*

18. Zonâ *instar Eliæ sese accinxit, vt aculeos, & cilicij setas corpori arctius apprimeret & lumbos strictiùs coërceret in maioris doloris augmentum, & inde in cœlo clariorem mercedem.*

19. Ciliciũ. *De* virtute animæ habitus loquitur. Ita *Chrysost. sic Hilarion, Antonius, Paulus, Martinus, Clara (& quis non Sanctorum?) asperrimis cilicijs inhorruit, vel certe rudi sago sese pauper inuoluit aut veste ad modestiam compositâ, mentis suæ interiorem habitum*

bitum, vti Augustinus, palam ostendit? In parco enim, victu, & vestitu nescio quis sanctimoniæ splendet nitor, & animæ interior translucet decor. Contra verò quis nō dicat cum Augusto, modesto principe: Vestitus insignis vexillū superbiæ, & mollis nidus est luxuriæ. *Et tamen molles isti, & (si Dijs placet (quinti Euangelij præcones non erubescunt S. Ioanni vndulatam è pilis camelorum vestem attexere: Vti suauis ille ab olla Vulcania & orci figlina Chytræus; de quo vid. Canis. de corruptel. Verbi Dei c. 2. Quasi verò Ioannes tamquam alter Adonis è Veneris sinu prodiens in desertum, sub delicata & molli tunica inceperit intonare, & ad asperrima pœnitētiæ exercitia fractos delicijs, animos, ante ijs ipse fractus, studuerit excitare. Quæ an austero illi solitudinis inquilino, & quasi saxeo inter saxa homini conueniant, prudens lector iudicabit, & an non potius hæc illis adscribenda, qui è plumei tori tepido nido, ab vxorculæ suæ latere, & infantium pultibus ilico ad pulpita, adhuc semisomnes, conuolant: vt suo, quasi S. Ioannis exemplo, ad pœnitentiā, cilicia, flagella, & alia asperiora è peccatorum periculo excitatos suos auditores boni viri inflamment. Næ tua, Mi Christe, inter tot ærumnas patientissime, infelix religio! cui, ni tales inter vxorias lites, & illecebras, pueriles ejulatus, & risus, ludosque, è quinto euangelio vltimis sæculis Apostolos reseruasses; profectò sanctissimæ sponsæ tuæ sub sole vestigium exstaret nullum; nec vllus vspiam existeret, qui arctam ad cœlum viā aperiret. Belli homines, & festiui suauiludij!*

21. Basis. *Quadro lapidi comparat Aristoteles Virum Constantem.*

23. Fons.

23. Fons, *hoc est, vel Baptismus, cuius, quoad potuit, amorem pœnitentibus effudit Ioannes.*

Vel *Lympidæ, & puræ conscientiæ perspicuus nitor; vnde gaudij perennitas. Vti enim semper fonti suus adfluit liquor: sic & probo suum perennat gaudium, esto res circa eum mutentur. Plutarchus.*

24. Draconis caput. *Plerique censent primum peccatum ante natiuitatem ab Adamo transfusum: quo exstincto ante partum (vt in Sancto Ioanne,) non est, quod multum noceat; de quo dixeris, quod de Mithridate iam victo Florus:* Obtrito capite serpentem caudâ minari. *Sed non nisi minari.*

Porrò biceps draco, *ob peccatum, quod à parentibus agnascitur; & à nobis patratur.*

Item biceps, quia in eo culpa, & pœna, siue mors.

27. Multi specus. *Concaua loca apta regignentis vocibus.*

28. Væ. *Ioannes identidem intonat:* Agite pœnitentiam. *Vt eius exemplo S. Nicon omni concionis initio increpabat.*

CENOTAPHIVM.

Vatum Primo & Postremo, nusquam & vbique sepulto.

P. M. S.

Hic IACET; NON IACET, Ille Cœlestis Homo, & terrestris Angelus.

In quo,
Vt ne quidem vacuum gloriâ ſit nomen,
Dei GRATIA relucet.

QVI,

E Sterili iam pridem Arbore
Maturus publico cum gaudio Fructus;
Infantiæ impedimenta neſciens,
Priùs cœpit omnibus membris, quam ore loqui.

CVI

Par pænè cum Chriſto puero ætas;
Non item par cum eo viro gloria.
Spes priſcis vatibus prima,
Vel certè primæ proxima;
Vltimus verò vates:
Vtriuſque Legis fibula;
Inde finem, hinc initiũ, pari circulo, innectens

PHOSPHORVS,

In quo Legis Antiquę vmbra & nox
In nouam lucem & diem inclareſcit.

VOX

In deſerto breui tempore clamans,
Æterno VERBO præuia.

LVCERNA LVCENS,

Quæ toto cœlo aberrantes rectã in viã reducat

ARDENS,

Vt frigida corda, & quidem ad aquas, accendat

Probi

Probis
Præluſtre, ſanctimoniæ exemplo, ſidus;
Improbis,
Verbi acrimoniâ, terror & fulmen.
Illi cœlum, ſpecus; melagreſte, cœleſte nectar;
Hiſpidum ſagum, purpura fuit.
Denique
Vt innocens Agnus,
Nocentiſſimâ lupâ poſtulante,
Imperante Rege inceſtuoſo,
Caſtitati victima cecidit:
E cuius vulnere,
Neſcias, plus gloriæ, an ſanguinis
defluxerit.

N O T Æ.

Ioannes *anno* 33. *vt vult* Baronius: *vel, vt meliùs* Salianus, 32. *ætatis ſuæ capite minor decreuit, ſub cruento Herodis Antipæ gladio; in Macherunte, caſtro regio. Cuius caput vt* (a) *Herodias crinali acu lancinarat, & in ferali illo inceſtæ ſæuitiæ ferculo, omnibus diuexarat contumelijs; ne id ſuo trunco* (b) *iungeretur, arcanum in locum abiecit, & tenebris obruit. Corpus autem S. Ioannis diſcipuli Samariæ extrà ditionem Antipæ ſepelierunt: ne illud foret, obſcænæ lupæ, an furiæ? iniurijs obnoxium. Verum nec ſic quidem id ab contumeliæ periculo ſecurum.* (*a*) Hieronym. cont. Ruff. epiſt. 27, (*b*) Niceph. 1. c. 20.

Siquidem ſacras eius reliquias, vti & Heliſæi Prophetæ, impij Samaritani & Ethnici, vtrique Iudæis infeſti, ſub impio Iuliano exuſſêre, & cineres viatim in ventos, & agros ſparsêre. Theod. 3. c. 3.

Tamen Chriſtiani vel quædam membra, vel cineres ſubduxêre rogo, hoſtiũ & furori. Ruff. 2. c. 28. *certè etiam poſtmodùm præclaris amborum ſepulcra ibidem fulsêre miraculis.* Hieron. ep. 27.

Item & delati cineres in ſinum S. Athanaſij, qui prædixit eos Alexandriæ fore ſummo in loco, & honore collocandos. Vaticinio euentus reſpondit aliquanto pòſt: euerſo enim Serapæo, conſilio Theophili, & Theodoſij imperio, cœpit inædificari Serapæi ſolo templum S. Ioanni ſacrum; quò Arcadius, Theodoſij filius, eius reliquias intulit.

Ad caput quod attinet; nullius Sancti quod ſciam, pluribus locis oſtenditur. Quâ de re diſſerit ſigillatim Robertus le Vaſſeur Pariſienſis Theologus, & Ambianenſis Canonicus.

Caput id repertũ in Coſlai vico, apud Chalcedonẽ; quod Theodoſius iuſſit transferri in templũ Byſantinum S. Ioanni dicatum Anno 391. Sozonem. 7. c. 22. *Sed quia à Macedonio accepit, is multa falſa miſcet.* Proſper Chron.

Poſtea & id inuentum in agro Emeſeno, in monaſterio Spelæi, è Macheruntidis ruderibus erutum. In templum deinde S. Ioannis Emeſam tranſlatum Anno 761. *vnde duplex tranſlatio à Græcis & Latinis celebratur* vid. no. Martyr. 29. Aug.

Anno

Anno 1025. Guilielmus Aquitaniæ Dux potentiſsimus ab Italia redux, Angeliaci in tugurio ſaxeo monaſterij Angeliacenſis caput item reperit. Fragment. hiſtor. Aquitan.

Pars capitis à Conſtantino Copronymo Sanctorum hoſte miſſa Pipino.

Oſtenditur autem pœne totum Romæ in templo Sancti Silueſtri; excepto mento.

Auguſtæ Prætoriæ in Subalpinis, & Lugduni, Ambiani facies excepto mento, ab ore ad vſque partem frontis.

Anno 956. Ioannis manus tranſlata Antiochiam: quem inuocant gignendis & maturandis fructibus.

Anno 1101. Cineres è Paleſtina tranſmiſsi Genuam: duplici officio coluntur.

Aldelwaldus Rex Longobardorum Medoaci S. Ioanni Baptiſtæ templum exſtruxit magnificentiſsimum. Paulus Diac. 4. c. 15.

Grimoaldo Regi Vir ſanctus in ſolitudine ominabatur, res Longobardorum fore florentiſsimas, quamdiu Sancti Ioannis cultus floreret; eius verò neglectu interituras, Paul. Diacon. 6. c. 3.

ARA D. IOANNIS.

Age, quiſquis hanc Aram ſpectas,
Sta, & votum fige,
Perenne pietatis monumentum
Non auro, vel gemmis ſplendidum;
Sed, quæ omni auro, & gemmis longè
Diuis gratior,
Publicâ, & piâ memoriâ conſecratum.

IOANNI

Sibi minimo, alijs maximo.
Hic eſt illa lucerna immenſæ luci prænuncia,
Et Stella ſuo Soli præuia.
Hic magnus maximo Regi nuncius,
Eiuſque Sponſæ pronubus.

IN QVO

Non adumbrata in ſpeciem virtutis imago;
Sed ipſiſſima expreſſa eluxit ſanctimonia:
Ante ætatem matura,
Supra naturam perpetua,
Vltra mortales eximia;
Infra vnũ Deum, & magnam Virginẽ maxima.
Is vixdum trimus, & quidem ſolus,
Sine matre in ſpecu puer,
Iam tum cœpit eſſe
Tot olim in ſolitudine agentium parens.
In eo fecit auctoritas,
Vt ab Iudæis Meſſias pœnè crederetur.
Verùm è tam auguſti nominis amplitudine,
Seſe intra anguſtos humanæ vocis fines
continuit.
Hic vir, hic eſt,
Qui ſalutis Fonti hactenus ignoto
Primus digitum intendit;
Et, vt inueniretur, dux fuit.
Imò
(quod mirere)
Ipſum omnium fontium vberrimum Fontem

Beatis Iordanis aquis
imbuit.
Cœlitibus propior, quam mortalibus
Homines in beluinos mores degenerantes,
In deſerto ad baptiſmi ſui aquas,
Ceu feras, admiſit;
Ceu Angelos terreſtres, cœlo ſuo reddidit.
Sed vti ſolem vmbra;
Sic & virtutis eximium ſplendorem
Plerumque inuida ſors,
Et mors iniqua ſequitur.
Occidit ergò,
Cruenta Herodiadi victima,

I O A N N E S.

Occidit? Fallor.
Rebus humanis iam ſublimior,
Ac diuinis propior.
Etiamnum ſibi ſuperſtes,
Hac in Arâ,
Non minus virtute, quam gloriâ
Omnibus prælucet;
Et, vt voueo,
Æternùm
prælucebit.

ANATHEMA,

Ad Aram Diuo Ioanni Sacram,

CORONA

Distincta bissenis, è natiuitatis gloriâ, gemmis.

Persis mos erat, vt solus Rex rectâ tiarâ, vti insigni regio, vteretur; Cognati autem inclinatâ: Sic vni Deo, & Deiparæ, cujus purissimo è sanguine concretum corpus, quod in vnam cum Deo personam coalesceret, sibi transsumpserat, hæc vnica gloria obtigit; vt summum majestatis apicem attingeret: at verò Ioannes secundum ab eo honoris titulum, tum generis, tum sanctimoniæ nobilitate proximus, & cognatus emeruisse videretur. Vti & Demaratus Corinthius: cui licuit, ob sanum, quod Persarum Regi dederat consilium, Sardeis regiam Lydorum vrbem, rectâ tiarâ, regio more, inuehi: Qualis gloriæ splendor Ioanni obtigit, qui eam, quam hausit in vtero, innocentiam ad extremum vsque spiritum, vt Christus, sed impari gradu, conseruauit. Idcircò illi hanc figo coronam, *& eam quidem bissenis è gloriosa natiuitate gemmis intextam. Quas sic enumerabimus; tu Lector eximiam pulchritudinem admirare.*

Prima. *Nobilitas, cuius triplex titulus, è nobilis viri sententiâ (puta Nazianzeni) & quidem ideò, quod ad Dei imaginem simus expressi: quamuis illa omnibus sit communis.*

Altera *est antiqui nominis splendor, quem aui in nepotes, perenni cum famæ illustrioris gloriâ, propagant. Hæc illa, quæ suæ stirpis agnatos à promiscuo vulgo eximios*

mios secernit, & altiùs attollit. Quid autem Aaronicæ gentis gloria antiquius, & sacris imaginibus illustrius; vnde est Ioanni auita claritudo?

Tertia *Demum est nobilitas, quam & virtus parit, eandemque ad posteros commendat, de qua Orator* 1. *officior.* Optima hæreditas (*addo & nominis claritudo*) quæ à parentibus traditur liberis, omni patrimonio præstantior, est gloria virtutis, rerumque gestarum; cui dedecus esse, nefas & vitium est. *Quod neutiquam in* Ioannem *cadit, qui non solum auitæ virtutis heres; verum id, quod ab ea accepit decus, longe excellentiori sanctimoniæ gratiâ illustrarit, amplificaritq́; qui, vt Angelus terrestris, è cœlo, atque adeo ab ipso Christo, sibi suæ nobilitatis quærendam existimauit imaginem. Vera enim nobilitas, diuinæ imaginis conseruatio, atque archetypi est imitatio: quam ratio, & virtus efficiunt.* Nazian. 11. de Gorgon. sic & Nyssen. de Thaumaturgo, & Greg. 2. Regum cap. 9.

Itaque vni Ioanni, qualis nulli, claritudo & dignitas, eaque non è fumosa nobilitatis antiquæ imagine, sed è clarissimo sui nominis splendore obuenit. In qua præ cæteris expressa sit præstantior Dei imago, excellens parentum è virtutis studio gloria, denique ab ipso vsque Aarone nobilissimæ stirpis sacra propago.

Porrò qui Virgini pariture, lætissimum omnium nunciorum nuncium attulit, idem ipse Gabriel detulit Ioannis parentibus de filio procreando gaudium. Pet. Damianus.

Quod autem Isaaco, & Samsoni, id & Ioanni euenit: & quidem à dextris Altaris, quasi foret Benjamin, id est filius dexteræ. Nazianz. 11.ad Gorgon.

Quarta. *E sterili & effœta arbore, è parentũ sterili coniugio, senectutis vltimæ nobilissimus fructus tandẽ ematuruit: qui perquàm acerbum temperaret parentum dolorem, ac sui suauissimo gustu penitus exstingueret. De quo* Chrysologus: Sterilitas fugit, parit castitas; nascitur maior homine, par Angelis; legis & gratiæ fibula. *& similia ser. 3. & 4 de S. Ioan.*

Is ergo non tam naturæ, quàm cæli donum extitit. Vbi enim natura desinit, ibi incipit gratia insolitum opus: Siquidem debuit præcursor Christi aliquid simile habere natiuitati Saluatoris: nam Dominus de Virgine gignitur; Ioannes de sterili procreatur. *Ambros. 1. de S. Ioan.*

Quinta. *In vtero exemta paruulo labes peccati originalis.* Erat enim in vtero matris lucerna Dei, sed non ardẽs, nec lucens: diuinus aduenit ignis, luce illam gratiæ inflammauit, lucentemque fecit & ardentem. *Gregor. in Iob, 2. è quo Bernardus,* Ioannẽ sic præoccupauit flamma cælestis, vt iam sentiret Christi aduentum, qui non sentiret seipsum. *Christo ob personæ diuinæ maiestatem debitum erat, eo vitio non infici. B. Virgo in id poterat incidere, ni Deus peculiari priuilegio casum sustinuisset. Porrò Ioannes, vbi conceptus fuit, in id quidẽ incidit; sed adhuc in vtero existenti Christi occursus eã maculam ex animo penitus deleuit. Quid sit de Ieremiâ, vide Interpretes. Sunt qui Iosephum magnæ Virginis*

sponsum

ſponſum ab eâ noxâ expiatum velint. Sed eſt, qui eos refellat vir eruditus.

Perquàm mirum ſanè id fuit, vt miratur Chryſologus: Priùs peruenit ad cælum, quàm tangeret terram; priùs cœpit viuere Deo, quam ſibi. Pręco erat Chriſti, & gratię, & Spiritus ſancti. Quid ergo erat, vt gratiæ præco Spíritûs ſancti gratiæ nomē haberet, & ab vtero gratiâ, & Spiritu ſancto donaretur? æquum erat, vt præco remiſſionis peccatorum, peccati originarij remiſſionem in vtero conſequeretur.

Hinc vſus rationis in puero qui ſeipſum noſſe non poterat, Deum agnouit; & ſeras ſapientiæ moras, præmaturo in ipsâ infantiâ iudicio, occupauit; & id eius ſibi pæne æqualis pueri, qui ipſa ſit Sapientia, beneficio. Beatiſſimum diem! qui adſpexit in puero naturæ impedimenta in gratiæ ornamenta immutari.

Quidni? vbi fons gratię ſibi obuius, inde hauriret gratiam. *Vt loquar e ſenſu Guarici Abbatis.*

Sexta. *Exſultauit in vtero, quod nulli vnquam ſanctorum euenit. Luctam quidem geminorum in vtero ſenſit Rebecca, & inde quidem hauſit dolorem, ſed non (vt Eliſabetha) gaudium è Chriſti & B. Virginis aduentu; & ob gratiā, quam Puer ille, fons omnis ſanctitatis, ſibi, pueroque infuderat. Quod vtriuſque gaudium ab animo tenerum in corpuſculum redundauit. Vnde tremulo omniū membrorum motu geſtiēs puer, vterū maternum leuiter, quaſi ludibundus, impulerit; &, vt ratiocinatur Doctor Pariſienſis Ioannes Raulin ſerm. de Viſitat. 2. faciem ſuam, quæ dorſo matris, vt ſit, in*

ſit in fœtu adhuc incluſo (vt vult Ariſt.9.de animalibus) hactenus obuerterat, eã, reflexo corpore, Chriſto aduerteret; & id, vt Aue grati officij memor reponeret. Quidni vt Ionas ex vtero ceti Deũ adorauit: ſic & Ioannes Chriſtum obuium ſalutaret?

Septima. *Primus omnium (Ioſephum excipias) Chriſtum & B. Virginem adorauit. Sicut enim vas balſamo plenum alieni liquoris admittit nihil; ſic & Ioannes nihil ſæcularis maculæ ſibi ſiuit admiſceri. Hila. Arelat. de S. Ioan. Quare neceſſe eſt, vt ſui odoris gratiã ſtatim refuderit in eum, à quo hauſerat eam fragrantiã; & longè ſuauiori aurâ recrearit, quã thus & myrrhaè triũ Regũ aureis acerris adſpirarit.*

Octaua. *Natiuitatis celebritas.* Natalem Sancti Ioannis hodie celebramus, quod nulli Sanctorũ contigiſſe videmus. *Auguſt. ſerm. 2. de S. Ioanne.*

Et hoc: quia Ioannis natiuitas Chriſtum Dominum prophetauit, quem conceptum ex vtero ſalutauit. *Auguſt. ſerm. 4. Sed audi Pet. Damianum:* Nullius hominis natiuitatem, pręter ſolius Dei, eiuſq; Matris in arcem auctoritatis recepit Eccleſia, Ioannis exceptione ſeruatâ.

Nona. *B. Virgo præſens fuit Ioannis natiuitati, & primo eum de terra leuauit, vt cõmuniter creditur. Antonin. tit. 18. 5. § 6. & Bonau. c. 5. vitæ Chriſti. In quo vti cætera omnia præclara, ita certè hoc præclariſſimum, vt iam puer, orci dominatu liber, claro loco natus, ad poſteritatis gloriam, iam inde ab ſuo ortu, excellenti famâ cõmendatus, tantæ Reginæ ſuauiſſimo, & caſtiſſimo gremio exciperetur. Regum liberos*

recens

recens natos porphyrogenitos futili, & fragili nescio quæ nutricula purpura, aut segmentatis suscipit cunis. Quid autẽ hæc vanæ gloriæ crepundia, ad pueri huius majestatem, quem Regum omnium Imperatrix in regiæ dignitatis æternam hæreditatem, sui filij consilio, & auspicio adoptat? Aut quis pro dignitate explicet, quas illa Virgo, quæ, ceu sol, cætera sidera; sic & ipsa reliquos suæ sanctimoniæ claritate obumbrat, amoris suauißimas faces in puerum transfuderit; quas illi delicias fecerit, quas non gratias illi conciliarit? loquatur ille qui totus est Vox, & id expertus fuerit tali obsequio beneficium.

Decima. *Nomen & quidem pulcherrimum, Angelus ei imposuit quod nõ nisi sanctißimis viris (si Ismaelem excipias) euenit.* Quis putas puer iste erit?

Quantâ pollere auctoritate illum putamus; qui, antequam in vtero conciperetur, nomen à Deo consecutus est, quo vix vllum sit excellentius reperire? Siquidem Ioannes (vt Ieronymus explicat in nominibus Hæbr. explicandis) Dei gratiam signat, id est, ipsum solem, Deum inquam, & radium suo simillimum soli, Dei gratiam; qua secundum Deum nullum præstantius bonum & donum à Deo, ab Io per syncopem, è Iehoua & Chen, id est, gratia. Et id his de causis: quia 1. è gratia Dei donatus defœto in æuo parentibus. 2. Eâdem gratiâ liberatus adhuc in vtero ab originario peccato. 3. Quia omnes Prophetas anteit gratiâ. 4. Quia clarus legis gratiæ præco, nam Lex & Propheta vsque ad Ioannem eam explicant. Pagninus lib. de Interpret. nomin. Hebræor. à Iehoua & Chanam quod significat misertus vnde Iochanam, id est, misertus est; è quo insitum à

natura

naturæ vitium ipso adhuc in vtero materno excidit.

Vndecima. *Gaudium orbi publicum in eius natiuitate, simul ac cœpit nasci, vt postmodum tam insignem Principis vatum personam sustineret; & illi ea foret gloriæ excellentia, quam ipsa æterna deprædicaret Veritas; quique omnium non tam oculis, & auribus seruiret; quã saluti consuleret, eamq; omnibus palam demonstraret: quippini totus orbis cum eo, qui in vtero exsultarat, etiam exsultans, gaudio gestiret, ac triumpharet; Et qui lucerna lucens, & ardens vitales in auras iam primum emicarit, illi ceu ignes triumphales vbique terrarum in celeberrima eius natiuitate accenderet. Nec id solum apud Christianos; sed etiam Christianis infestißimos hostes. Machometanos dico, qui eo cultu eam etiam celebrant.*

Duodecima. *Denique huic coronæ, ceu lemniscum, si non potius vltimam attexo gemmã, laudem, quam omnes sancti Sanctissimo Ioanni accinunt; qui nullo vnquã consilio, aut voluntate, vel in minimam offensam ab primaria sanctimoniâ discessit; nedum ab eo, qui auctor, & omnis sanctitatis arbiter est. Cujus hæc de eo vox:* Nemo inter natos mulierum maior Ioanne. *Quãtis putas & eum laudibus ad Filij exemplum extulerit Deipara? quorum auctoritas reliquis omnibus præjudicat. Quid Angelos loquar? à quibus necdum natus, nomen accepit. Quanta famæ dignitas ex ipsius Euangelij testimonio accessit! quod certo certius nobis ob oculos ponit, quantâ cum puritate animi, & rerum omnium penuria, quanto cum honore, ipse, in quo nullus laudis gustus exstiterit, hono-*

rum

rum contemtu, vitam traduxerit.

Subijciam nubem testium, si placet. En, qui eum meritis concionibus laudarunt.

Chrysostomus de natiuit, & mort.
Antipater Bostrens.
Theodorus Studites.
Ambrosius.
Augustinus.
Chrysologus.
Maximus.
Cæsarius.
Hilarius Arelatensis.
Beda.
Petrus Damianus.
Iustinianus.
Bernardus.
Gauricus Abbas.
Origenes.
Nazianzenus.
Cyrillus.
Vterque Nyssenus.
Theophylactus.
Euthymius.
Tertullianus.
Ieronymus.
Paulinus.
Gregorius Magnus, & alij antiqui interpretes.
D. Thomas.
D. Bonauentura.
D. Antoninus.
Dionysius Carthusianus.

Recentiores omitto; vnum tamen addo Canisium qui lib. de Corruptela verbi Dei, præclara de Ioanne scribit. Quid erit, quod quis his amplius laudibus adstruat? nisi quot hâc in coronâ iam contemplatus clarissimas, quibus distinguitur, gemmas; olim tot & ibidem altiori in mundo stellas admiretur. Quæ enim hîc in terris iste promeruit phosphorus, olim in cœlo præmia, ipso sole illustriora, & clariora, propiùs intueberis, & obstupesces.

F I N I S.

EPIPHONEMA.

IOANNES

NAscitur maior homine, par Angelo; tuba cæli, præco Christi, arcanũ Patris, Filij nuncius, signifer superni Regis; peccatorum venia, Iudęorum correctio, vocatio gentium: &, vt proprie dicam, legis & gratiæ fibula; quæ diploidem summi sacerdotis, sancto Patri iungebat in pectore. *Chrysol. serm. 9.*

EPIGRAM-

EPIGRAMMATA.

De S. Ioanne Baptista.

LIBER PRIMVS.

EXSVLTATIO S. IOANNIS IN VTERO.

Epigramma 1.

Vox Auctoris.

E Loquar? elingui vox hæret trunca palato,
An sileam? gestit non benè vincta loqui.
Æstus vt incertas trahit alter, & alter arenas;
Sic natat alterno cura bis vna freto.
Quid sequar? eja, graues tu quisquis es, exime fluctus,
Ritè mones. en dux, qui mea vela regat.
Sed quid quæro, mari puppim quæ dirigat, vrsam?
Cui, puer in sicco limite signat iter.
Currite, præruptis vbi stant iuga confraga saxis,
Aërioque super tecta superba iugo.
te, giganteis vbi candet ab ossibus ingens
Campus, & (a) Hebrônis fama vetusta vocat:
Huc puer inuitat, sextam cui canuit ætas
Ad lunam; vt sapiat præcoce mente virum.
lle, putas? infans latebris indormit & vmbris,
Quemque tenax vinxit compes, vt vmbra, silet?
Narrat iò, clausus gremio, sua gaudia narrat,
Cui quasi sunt gemini lingua gemella pedes:
t dare cesso manus, auresque impendere plectris?
Si mihi viua puer sit lyra; duco chorum.

(a) *Hebron vrbs antiquissima, olim sedes gigan-tum (qui dicti sunt filij Enacim,) siue ciuitas Iuda, ecie caua Luna, sita in montis haud ita excelsi, iugo co sylvis obsito, hortis amœno, & collibus iucundo:*

 cujus

cujus in parte orientali Bethlehem versus, erat hortus suburbanus Zachariæ, in quo Elisabeth Deiparam excepit. Vbi in templo semiruto, Christiani peregrini canunt Magnificat. *In parte verò Occidentali, erat domicilium Zachariæ; vbi B. Virgo tres menses egit.* Ioannes Boucher *qui locum vidit* lib. 3. cap. 7. du Bouquet sacré.

Epigram. 2.

Zacharias suam sterilitatem deflet.

HEu! viduo culmo, spes occidit omnis in herbâ,
 Quam vetus exsangui puluere damnat hiems.
An spes nulla nouis viret ergo superstes aristis?
 Flos adeò pulcher, iam cinis alter erit?
Quid? moriemur, (ait) vidua cum coniuge coniux,
 Nomen inane? cadet sic sine fruge seges?
Quid nisi *væ*, sterili sua cui spes excidit æuo?
 Sed mihi quis dextrâ tinnit ab aure sonus?

Epigram. 3.

Angelus eum consolatur.

CRede Deo; nec enim Genio, ceu rere, sinistro,
 Vita perit, longis immoritura malis.
Quis credat? seges hibernum noua crescet ad Eurum,
 Spemque, vbi spes abijt, sera inuenta feret.
Testis Abram, testis Manue, sit & Elcana testis,
 Altera Sara pari cui fuit Anna sinu.
Si non hîc Abraham, proauus tot nepotum:
 Par Abrahæ saltem, viuet imago nepos.

Epigram. 4.

Elisabeth concipit Ioannem.

CVi gelidâ spem fraudat hiems defœta senectâ,
 Infelixque vteri dedecus atra notat,

Ridet

Ridet iò! ſterili modò triſtis Eliſa iuuentâ:
Ridet iò! ridet: altera Sara redit.
Et iam mater anus, quæ ſe vix ante ferebat,
Fert puerum; pueri ſarcina grata leuat.
Dulce puer pondus; mœſtæ ſpes læta ſenectæ eſt:
Quo ſine, ſit ſurdum nomen vterque parens.
Adſeret agnato rurſus noua ſidera cœlo,
Alter, Abrahamidum gloria clara, nepos:
Quemque diu peperiſſe decet, paritura puellum
Mater anus, vitâ viſa priore frui eſt.
Quam grauat agnato, ſub pondere paruulus hæres;
Tam ſimul & læto germine dulce leuat.
Sic leuat; vt mater nolit iam ponere florem:
Sic grauat; vt fructum ponere ſerò velit.
Sic, vbi natales ematureſcit in horas;
Spes vteri; partûs gaudia pœnè parit.

Epigram. 5.

Vnicus puer inſtar innumeri fructûs.

ANte diu ſicco cui ſpes ſtetit anxia ramo;
Nunc viret effœto palmite vitis anus.
Sed cui vix vnum dat gratia parca racemum;
Par tamen hic vuis mille racemus erit.

Epigram. 6.

B. Virgo Cognatam Eliſabeth inuiſit, cum ſui pueri erga Ioannem beneficio.

EN, ſerò voluenda dies nunc attulit æuo,
Prima quod in partu ferre iuuenta negat.
Et iam floret anus, grauidâ fœcunda ſenecta,
Maturatque vteri Luna nouena moras.
Ac conſanguineam de Ieſſide ſtirpe parentem
Inuitat; rapidis aduolat ergo rotis
Virgo recens, cui vix tenero concreuit in ortu
Paruulus; at quouis grandior ille viro eſt.

Maior

Major honore, minorque æuo licet abditur aluô;
Ipse puer puerum, ceu pater almus, adit.
Cognato simul agnatum scelus ipse puello
Eximit; alternis hinc vibrat ille modis.
Obsequio certare pares, par vsus amoris
Imperat, & socias æquus adoptat opes.
Sic tamen, vt prior ille puer felicis Elisæ,
Imperium I E S V, ceu minor, vsque colat.

Epigramma 7.

Ambæ Matres vaticinantur, spiritu & voce parvulorum.

IOANNES AD SVAM MATREM.

GRatulor; occurrit mihi candidus hospes I E S V S.
Claude sinum mater: matris ab ore canam.
Adspice, quem speras, tremulis tibi nuncio membris.
Cum puero, Verbi Mater & ipsa canet.
Si Verbi genitrix canit omina fausta salutis;
Quid vetat & vocis succinat alma parens?
Sic tamen esto canant Verbi, Vocisque parentes;
Quid maius, pueri plus tamen ambo sonant.
Magna parens, fateor Voci est; & maxima Verbo.
Vtraque prole parens, sed minor ipsa suâ est.

Epigramma 8.

Votum Ioannis, iam ab auito peccato expiati.

IOANNES AD CHRISTVM PVERVM.

TErque, quaterque beate meo puer ille piaclo
Certa salus, vin' te terque, quaterque canam?
Ossa quot intexo neruis, quot & ossibus artus:
Opto tot inde lyras; opto tot inde fides.
Et mihi quot digiti; tot eburnea plectra lacessant
Has citharas, neruis quas Amor opto, struat;

Et lyricen catus ipse modos moderetur, & auras.
Vt numerent laudes fila cauora tuas.
Si modus his numeris; numerus, quem dictat I E S V S,
Innumerus, numeris vicerit astra suis.
Pleias imbris aquas grauidis quas stillat ab astris;
Suspicor has lacrymas dum queror, esse meas.
Nunc agedum. quid adhuc in limine persto salutis,
Nec tenero salue dulce repono Deo?
Tu Verbum puer alme, salus quo maxima crescat;
O mihi da salue, Vox tua reddet aue.

Epigramma 9.

B. Virgo & Elisabeth mutuum *salue* sibi offerunt.

HIc vbi cana nurus canit, accinit æmula Virgo,
Hæc verbi Genitrix; Vocis at illa parens.
Sic Verbi, Vocisque parens sonat obuia *salue.*
Nec minus addit *aue*, lætus vtrimque puer.
Mutus vterque tamen: sed mater vtrimque benigno
Ore refert *salue*, quod det vterque puer.
Dic mihi num Vocis, Verbique puerpera concors
Plus gremio, an gemino gestiat ore loqui?
In geminis pueris pia queis sit cura salutis;
Dic, sibi bis salue reddit vtrimque parens.

Epigramma 10.

Elisabetham grauidam æquè grauida Virgo salutat.

AD ELISABETHAM.

QVi citimum tangit propè meta suprema sepulcrum,
Et defœta breui sole senecta cadit,
Prima chorum ducis; primò cui palpitat infans
In gremio: & Virgo concipit inde Deum.
Ast vbi vtrimque parens concurrit vtrique puello:
Dum tribus his cedas, non nisi quarta venis.
Quarta licet venias, tribus his minor vt comes, orbi
Prima tamen festâ gaudia luce feres.

Epigram. 11.

B. Virgo & Chriſtus Ioannem ſuæ lucis appulſu illuſtrant.

AD IOANNEM.

SOl, & Luna ſacrum puero decus adflat & ignem
His puer ex aſtris Phoſphorus alter erit,
Pulcher vterque tuis oculis adſpirat honores
Sidereos; & adhuc te iubar eſſe negem?
Sol, & Luna, quibus nil grandius ardet Olympo,
Quid niſi grande ſuo ſidus ab igne ferant?

Epigramma 12.

Amor Chriſti & Ioannis.

AD IOANNEM.

ABſentem puerum puer adſpicit acrior Argo.
Ac oculi radijs traijcit ille ſinum.
Teque animo tangit, tangi pede neſcius infans.
Sic duo corda pari pectore conflat Amor.

Epigramma. 13.

Puer puero gratiam adſpirat.

VIrgo ſalutat amans, Eos velut altera, vatem,
Inuida quem cæco ſupprimit vmbra ſinu.
Siſte tuas aurora rotas: præit alter Eous;
Vnde puer pueri ducat ab ore iubar.
Cui ſubitam præcox adſpirat gratia lucem:
Maturatque nouum lux inopina diem.
Matris enim, puerique ſuaue liquente labello,
Quæ venit aura, ſacras adflat vtrimque faces.
Quale decus! gremio necdum caput extulit infans;
Et ſapit: ac cælum iam vir adultus adit.

Epigramma 14.

Ioannes ante Matrem diuinâ impletur gratiâ.

AD IOANNEM.

EXsultim trepidas trepidante parentis in aluo,
Qui nec dum reperis nobile lucis iter.
Nempe moras nescis, pueros queîs impedit ætas,
Matris adhuc alto pænè sepulta sinu.
Et cui sensus abest sensum tardantibus horis,
Te pueri gustus nunc alienus habet.
Iamque loqui saltu properas, vox nescia fandi;
Natus adhuc nulli, nascere parue Deo.
Quippe puer puerum vigil erudit, ante parentem,
Parque piam fratri frater adoptat opem.
Ante sacro de fonte bibit, quàm mater, alumnus.
Riuulus hîc fontem sic præit ipse suum.

Epigramma. 15.

Ioannes in vtero omni sanctimoniâ illustris.

NVnc puer est teneris horis flos puber; & idem
Fructus: amor IESV cor cui sole coquit.
Quippe diu vixit; grauida vix cœpit vt aluo.
Viuere, iam lætæ dulce parentis onus.
An dubitas? vel adhuc infans, cui credit, IESVM,
Ceu vir, amat: magno sic fit amore senex.

Epigramma 16.

Adloquium vtriusque pueri.

DIscreto gremio puer hinc, puer obuius illinc,
Dulcibus alloquijs gestit vtrimque frui.
Et verò fruitur. Verbum hic, Vox ille puellus.
Ergo loqui gemino cœpit vterque sinu.
Ille pedum plausu; loquitur puer alter ocellis.
Mira fit hîc Echo mutus vtrimque puer.

Epigramma 17.

Ioannes cum Magis comparatur.

GRande caput submittit Arabs, altámque tiaram,
Et tenero libat thurea dona Deo.
Et puer exsultans tremulâ qui gestit in aluo,
Altera sacra facit; sed sine thure facit.
Plus vter hîc properat? clauso puer hæret asylo:
Liber oberrat eques mille Sabæus agros.
Pace tuâ, liceat dixisse, Sabæe viator,
Pusio plus omni crede, cucurrit equo.
Siste Camele leuesque Dromas mihi siste labores.
Nil facit ad pueri cursor anhelus iter.
Quamlibet admissis procurris vt Eurus habenis:
Vinctus vtrimque pedem te puer arte præit.
Nonne Sabæe tuum thus, quo veneraris, IESVM,
Occupat arcano victor honore puer?
Exemploque Deum, Matris qui sidit in arâ
An gremio? supplex voce precante colit?
Nec satis est sic voce coli: sese agnus hic agno
Immolat, ecqua Deo gratior agna litat?

Epigramma 18.

Ioannes ad vocem Virginis exsultat.

AD IOANNEM.

VIrgo sonat: surdâ dormis puer abditus aluo?
Euigilas; agili ducis in orbe chorum.
Quem iubet in gremio sic ludere mater IESV;
Ante tui partum te tibi pæne parit.

Epigramma 19.

ALIVD.

VIrgo parens, *salue*, dulci sonat alma labello.
Cui cognata pari voce propinat *aue*.

Tum

Tum gemini pueri, geminæ & risere parentes,
Gaudia qui liquida, pura bibunt animâ.
Vidit vt hoc, roseis tum sol emersus ab vndis;
Nunquid, aït, Diuûm gaudia terra rapis?
Si meus hoc radius biberet de nectare guttam;
Sol satur inde, meri iam mare dulce foret.
Haud equidem minor inuideo mea gaudia terris.
Maior vbi cælo iam puer astra regit.

Epigramma 20.

Ioannes exsultat, & canit Christum, & id ad vocem B. Virginis. quæ suo alloquio adspirat quasi vocem exsultanti puero.

AD IOANNEM.

Obuius vt puero, puer adstitit; exsilit alter:
Iamque vibrans, clauso gestit abire sinu.
Nempe nouâ puer arte salis; agis arte choragum
Angustoque breuem, voluis in orbe chorum.
Enarrasque agili pede, quem nox celat, IESVM:
Dedalis arguto sed pede lingua sedet.
Lingua parum est Lyricem cunctos Amor erudit artus,
Artubus è cunctis fit lyra grata puer.
At silet os; puer arcta canes ad vincula linguæ?
Pars bona nonne lyræ deest, vbi plectra silent?
Si sis muta chelys; magnæ facunda parentis,
Lingua tuæ plectrum dat chely: volue chorum.
At chelys hæc, nullis quâ suauior accinit astris,
Et chorus hic, quo non pulchrior vllus ijt:
Nam celer (vt puer es) docili pede ludis in aluo.
Tam benè si saltas, dum canit illa; vir es.

Epigram. 21.

Ioannes geſtit in vtero.

PArue, quid agnatâ vinctus ſub compede ludis?
Num tibi natali iam ſata luce dies?
Spem ſed adhuc auido mora damnat iniqua puello,
Includitque breui flammea vota ſinu.
Quod ſi tardat iners pes, ſpes præcurrit amorem,
Quem ſua vox fraudat, ceu tuba; grande canis.
Vix dum vita calet; viuos tamen imbibis ignes.
Nec dum tangit humum pes, celer aſtra terit.
Exſors lucis agis; ſtas clara lucerna ſalutis.
Et, quaſi ſis victor, viſcera clauſa quatis.
Quale decus! loqueris, cui vox ſilet omnis, IESVM.
Præco Deo vt præeas; tu tibi parue præis.
Et, cui ſenſus abeſt, ſenſum tardantibus horis;
Vir quod nemo capit, cœlite mente ſapis.

Epigram. 22.

Ioannis in vtero gaudium, quo Chriſtum denunciat.

AGnus adeſt: agni nunc an ſilet augur, & index?
Geſtit enim vates, vox cui nulla, loqui.
Ecce, tremente ſinu teneros puer intremit artus,
Deque vibrante parit gaudia blanda manu.
Et puer hic infans, tot agens ſine murmure linguas?
Hic arguta leui quot pede membra micant!

Epigramma 23.

Ioannes optat Chriſti imperium, ceu præco, primus publicare.

IOANNES AD CHRISTVM.

TE propè tango manu, tango propiore labello;
Et ſimul amplexus illigo pœnè meos.
Sed nos diuiduis ſors diſtrahit improba ſeptis:
Quos par iungit amor, iungit & vna fides.

Ah!

Ah! nimium iungit, nimis & sors diuidit impar!
Quem propè tango, parens tangere dura vetat.
Nonne tuos oculos dolor huc aduertit & aures?
Tende, precor, puero, tu puer ipse, manum.
Arcta licet teneant captiuos vincla puellos:
Vincet vterque puer; rumpet vterque moras.
Si cupis, & quid ni cupias? tot in orbe catenas
Qui soluis, pueri soluere fræna neges?
Vtque nouum condis, vel pulchrius æthere regnum,
Te duce, dic regni pignora prima canam.

Epigramma 24.

Ioannes adhuc in vtero cœlestia meditatur.

ANte puer quàm tangat humum; spe sidera tangit.
Clausus adhuc, Cœlo grande cucurrit iter.
Et faciles aditus, ceu liber ad ardua rerum,
Difficili reperit vinctus vbique sinu.
Quos negat ipsa rudi natura nouerca sub ortu;
Id puero curâ præcoce reddit Amor.

Epigramma 25.

Ioannes optat quantocyùs publicam salutem annunciare mundo.

AD IESVM.

SOlue pedes, lituósque; canam noua bella Tonantis.
Et potes, & debes soluere, solue pedes.
Vt quid adhuc arctis captiuus inhæreo vinclis,
Nec cano iam palmas ad mea signa tuas?
Ille ego Christe, tuis liticen qui milito signis,
Dux vbi vicisti, vincula serua geram?
Crede mihi pars magna tui perit inde triumphi;
Quæ pçana canat, si tuba vincta silet.

VITA.

Epigramma 1.

Ioannis in natiuitate ſanctitas & pulchritudo.

AD ZACHARIAM.

SI teneri niueum ſpectes mihi corpus alumni,
Lac concrêſſe putes, matre quod ille bibit.
Sin animam, primi labes cui nulla pudoris;
Phoſphore pace tuâ, purior ignis erit.

Epigramma 2.

Ioannes vbi naſcitur, ad nomen ſuum canit iò triumphe.

LActeus anguſto prorupit vt aduena ſepto.
Victor in hunc orbem, credo, triumphe canit.
Vincite iam pulchri pulcher canit augur honoris.
Vincite: vincentes præmia clara manent.
Vincite Tenaridas noua nunc ad bella phalangas.
Vincite: Ieſſeides ad ſua ſigna vocat.
Palma triumphatrix omni cui frondeat æuo;
Omnis & inſerti præmia ſylua cadat.

AD IOANNEM.

SEd quid parue canis pulchris pæana triumphis,
Cui teneras ſtringit faſcia curta pedes?
Quâque tubam teneas, medijs ſtat dextera vinclis,
Vlla nec elingui vox comes ore fluit,
Næ tu miros agis venturis præco coronis!
Cui deeſt aura tubæ, tu tuba feſta canis.

Epigramma 3.

Ioannes natus Christum nasciturum è Virgine prædicit.

AD IOANNEM.

IBit in auctumnum felix iam Luna Decembris;
Sed cui sol natus Virgine fructus erit.
Sic canis astra legens diuini conscia partûs.
Quàm sapis! Astrologum lynceus augur agis.

Epigramma 4.

Ioanne nascente, in Vocis ortu Pater adhuc mutus persistit.

INformi quid adhuc vox bruta remugit hiatu,
Et pater infanti par, vt imago, silet.
An vocem rapit ergo suo Vox nata parenti?
Nunquid & in puerum liuor, an ira cadit?
An potiùs rauim crudâ puer afflat ab aurâ?
Agnus hic immiti nunc agat ore lupum?
Hoc puer ausit amans? vocem patris eripit error;
Cui graue quod peccat cor, sua lingua luit.

Epigramma 5.

Ioannes denunciat salutem Orbi.

VEr Philomela canit; grus nunciat aduena messes:
Ficedula autumnum; frigora densus anas.
Quid tu, magne puer, qui Vox es præuia Verbo
Occinis? an reduces quos agit annus equos?
Mitte breues anni toties morientis honores,
Aurea de dio sæcula sole canis.
Spemque voues mundo, tot qui labentibus annis,
Colla sub ærato fert recutita iugo.
Cernis! adhuc diros fremit orcus ad arma furores;
Fracta procelloso, sed cadet ira metu.
Ante diu mundum, ceu lamentabile bustum,
Qui stygis è flammis eruat, vltor erit.

Ecce, venit puer ille potens, puer arbiter æui;
Qui premat armatis impia monstra minis.
Hæc vbi sint nunc arma, rogas? vbi fulmina Diuum?
Vt puer est; matris condidit illa sinu.
Lætus id ipse canis natali testis in horâ:
Et nunc hæc lituo cælite bella sonas.
Sic tamen infestis canis arma tonanda procellis;
Candidus æternæ pacis vt augur eas.

Epigramma 6.

Zacharias pueri sui merito loquitur.

VIx de matre cadens vdum bibit aëra pupus,
Intactamque rudi stans pede tangit humum:
Emicat; enodique eludit lingua palato.
Iamque parat Verbum Vox puer apta loqui;
At Pater elinguis surdo nil mutit hiatu:
Aut ferit informi murmura balba sono.
Quid? vocale patri plectrum num surpuit infans?
Clausus adhuc cœco carcere id ausit opus?
Appage tale scelus: simplex an id audeat ætas?
Lusus io! pueros; non mala noxa decet.
Sentiat hoc pius ore parens, nascente puello?
Quàm blandus pueri pectore spirat amor!
Sed quid? adhuc strictis pater ora coërcet habenis?
Expediat tardas libera lingua moras.
Vincta diu, tandem facili iam verba labello
Liberat? ô felix! vincla quis ista secat?
Maximus ille puer, qui Vox it publica mundo;
Abnueret patri reddere vocis opus?
Ecce quod inclusit malè credula noxa parenti,
Vox infans aperit nobile vocis iter.

Epigramma 7.

Zacharias nato Ioanne loquitur, vbi iam nomen scripserat.

COeca sub obscuro retractans verba palato,
Lingua rudes balbo pinsit in ore sonos,

Quale

Quale nefas! vocis sator ergo silebit, vt infans
Pusio, tam festo Vox cui nata toro est?
Tu pia Vox Verbi, sua reddere verba parenti
Durus an ergo neges? nunc age; tolle moras.
Quid moror? abrumpis muto data vincla palato.
Emicat in faciles lubrica lingua sonos.
Iamque diserta ferit vocali plectra labello.
Vnde suäuè canat, ceu lyra sancta, melos.
Sed quid opus iam voce; stilo si dextera vocem
Exprimat? apta loqui lingua fit ista manus.

Epigramma 8.

Zacharias infanti applaudit.

CVi vix dum teneris vox palpitat vda labellis;
Quid pater infanti verba diserta facis?
Sed primæua rudes sensus nil præpedit ætas.
Occupat ætatem; mens cui cana, puer:
Qui vel adhuc clausus maternâ gestiit aluo,
Natus an is patrio nesciet ore frui?
Ergo loqui tenero, pater, ô! ne parce puello:
Corde latent aures, (a) queis tua vota canes.

(a) *Geminas quasi aures natura cordi adfixit.*

Epigramma 9.

Ioannes vbi nascitur, applaudit Patri Zachariæ iam loquenti.

EVge puer, seris tandem Vox publica votis,
Præcine venturo candida signa Deo.
Intereà risu puer incipe nosse parentem:
Sit satis hoc puero; Vox tibi risus erit.
Sed miscere rudi mauis cata verba labello,
Vix octaua breui cui redit orbe dies.
Tum tibi iure neges, quæ reddis verba parenti?
Si tacet os; oculis parvule disce loqui.

Epigramma 10.

Zacharias reſpondet puero.

IVſta ſub elingui fandi ſtet cura palato,
Cor vbi brutus adhuc vinxit, & ora ſtupor?
Haud reor id iuſtum ſed enim ſtupor omnis, & omnis
Error abeſt puero, mens cui cana ſapit.
Non natus grauidæ ſi Virginis hauſerit auras:
Iam natus patulâ non bibet aure ſonos?
Sed patrios bibit aure ſonos, ſimul haurit amores:
Quâ canit ipſe parens, ſuccinet arte puer.

Epigramma 11.

B. Virgo miniſtrat Eliſabethæ.

AD B. VIRGINEM.

VT cognata tui pia munia vidit amoris,
Credidit ancillam te, cui mater eras.

Epigramma 12.

Votum optat Pietas, vt dies qui naſcente Ioanne ſub Cancro decreſcit, potiùs creſcat, quaſi ſub verno Ariete.

O Vale nefas! ſpirante nouam nunc luce ſalutem;
Defraudat radio ſol breuiore diem.
Funeſtatque hilares triſtis iam veſpera ſoles;
Dum puer in terris gaudia verna parit:
Quis dolor hic cæli? num liuor & incubat aſtris?
Cur non cum puero, creſcit amœna dies?
Sic equidem voui; longis ſol lucidus horis
Ni, quo nunc oritur, Cancer adeſſet, erat.
Aurea dic atris ſol fræna reflectat ab vmbris;
Maior vbi puero creſcere cœpit amor.
Et ſua lux creſcat, ſociâ cum luce iuuentæ:
Nobilius gemino fundat vt igne iubar.

Hei mihi! sed Cancer simul attigit ardua cœli;
  Lux breuiore suum luce coërcet iter.
Scis quid agas? Cancrum gelido, sol, mitte Decembri;
  Ariete, sol, verno te decet æthra vehat.
Quid Cancro & puero? lucem puer; omina noctis
  Cancer amat; puerum vita serena decet.
Cancer iners nitido soli cur incubat? illum,
  Nox cui grata comes, noctis & vrat hiems.
Vt quid in æstiuis hiemet nox frigida signis,
  Ignea sub cancro quando lucerna micat?

Epigramma 13.

Ioannes vbi nascitur, dies imminuitur, sic pristina Legis Mosaicæ gloria decrescit.

Vix puer eximius vitales hauserat auras,
  Imminuit longos arctior hora dies.
Iamque breues refugo sol orbe retorquet habenas,
  Quo protendat iter, dux cui Cancer erat?
Et vetus antiquo Lex fræna reflexit ab æuo,
  Ac cadit in noctem longior vmbra suam.
Et qui cornigero (a) duce Mose cucurrit ad aras
  Bos, retro, ceu Cancer, triste reuoluit iter.
Quis scit, Erythræas Moses vbi transit arenas,
  Annon his Cancrum repperit ille vadis?

(a) *Moses cuius facies ex Angeli aspectu lucida ...radios quasi cornuta apparebat, vbi mari Rubro ...pias Hebræas sicco vestigio transmisit. Legem ...dit cœlitus acceptam, qua boues Deo immolandi ...perentur.*

Ioannis gloria & fama ſuper montana celebratur, qui deinde in montanis egit rupibus.

Echo Ioannis famâ reſonat.

FAma Palæſtinis quæ diditur inclyta campis,
Plaudit iò! & mundi gaudia ſera ſonat.
Rupibus adludit, quæ neſcio, vocis imago;
Viſa loqui: duris adſonat icta petris.
Credibile eſt reſonæ volui vaga iubila famæ
Clamat, iò! iò! conſcia: natus, iò!
Natus Iöannes, & par his montibus iò!
Natus, iò! concors petra reclamat iò!
Reſponſatque cauis Echo facunda ſub antris,
Et moriens animat murmur vtrimque ſonum.
Haud equidem miror, quod iam miratur Idume:
Si petra, ceu famæ conſona lingua, canat.
Vox rupem ſeros ſi dura ſequetur in annos,
Iam vocem rupes nollet amica ſequi?

Epigramma. 15.

Eliſabetham Ioannes ſuo partu illuſtrat.

QVem pariens perdat nocuâ de prole decorem,
In Gnato genitrix ſeruat Eliſa ſuo.
Stirpis enim damnum redimit, flos pulcher, alumnus;
Virginei floris fructus hic inſtar erit.

Epigramma 16.

Ioannes ipſe lactens, lactentem IESVM adloquitur.

LActea Virgineæ turgeſcit vena mamillæ,
Et grauido prægnans fonte pupilla ſalit.

Magne puer, bibulis vitæ duc pabula venis;
Et bibe nectareo pocula mista fauo.
Quas ô! delicias duces puer alme labellis?
Quale tuo & ducet nectar ab ore parens!
Nardinus his adspirat odor, mihi crede, mamillis:
Aut, si quis nardo suauior, halat odor.
Quin & amor blando tua suauia condit amomo;
Condit & ambrosio grata labella croco.
Attigero tantum pueri, matrisque labellum;
Quæ bibat hinc duplum mel, ero diues apis.

Epigram. 17.

Ioannes puer in desertum secedit.

AD IOANNEM.

CEu turtur vacuis gemis exsul, & orbus in oris,
Et fugis antiquos parvulus erro lares.
Fallere; te nudis si degere credis arenis:
Hîc tua quidquid obit planta, perennè viret.

Epigramma 18.

Ioannes locustis & amaro melle pascitur.

INde struit macram locusta miserrima cœnam,
Adstruit hinc vnctum mellis alumna penu.
Illa dapes; hæc pocla glabris apponit arenis.
Mors sed amara dapes; mel & amaror habet.
Has tamen hinc epulas conuiua beatus adornas,
Præ quibus & Medas despuat aula dapes.

ALIVD.

O Mihi dic, qui Cœlituum noua gaudia libas
Melle, quod alma mero nectare condat Apis: (a)
Hæc Apis an terris sata? num magis edita cœlo est?
Hic quoque sidus Apis, quæ tibi nectar alat.

(a) *Est ad polum Antarcticum Apis nouum sidus Astrologis.*

ALIVD.

IEiuno ſqualere putas hunc puluere campum?
Pingue Paleſtinam ſumen inungit humum.
Hîc quæ Lympha fluit, vel quæ mel haurit amarum,
Lacte mero manat, manat & herba fauo.

Epigramma 19.

Auguſtior ſpecûs, in quo degit Ioannes, gloria; quam Ieroſolymæ ſplendor.

HIc quæ tecta vides viuo pendentia ſaxo,
Eximij Vatis crede fuiſſe lares.
Sirius hîc Syriâ quam ſol luſtrauit in orâ,
Lympha ſitim pauit, pauit & herba famem.
Ne mihi ſperne breuem vili ſub rupe latebram:
Plus micat hæc aulis, vrbs Solymæa, tuis.
Ampliat hoc hoſpes, quo non auguſtior alter,
Hoſpitium: vt ſuperis digna ſit aula choris.

Epigramma 20.

Ioannes melle agreſti veſcitur, quod illi dulciſſimum.

MEl, cui nil mellis, libas propiore ſalinâ,
Apricus Syrium Sol vbi torret agrum:
Os tenerum, metuo, vitiet primæuus amaror,
Nec ſinat, in dulces vox fluat alma fauos.
Mitte metum: vox inde fluet prædulcis, amaro
Alma thymo ſolers mella laborat apis.
Id quod amara fauo thyma mellis amaror amori eſt;
Neſcit amariciem, fel cui nectar, amor,

Epigram

Epigramma 21.

Mellis amaritudo Ioanni dulcescit.

QVod quasi fel terræ (*a*) teter contristat amaror,
 Quale parit Pontus, (*b*) mel sine melle bibis.
Pontus alit medicata nigris aconita venenis,
 Queîs violat dulces pestis amara fauos.
Mel labijs lege triste; sapit quid dulcius vuâ:
 Os id an ambrosio liquitur ergo fauo?

(a) *Fel terræ herba amarissima.* (b) *In Ponto quia larga aconiti est copia, mel amarum apud Heracleam apes colligunt.* Plin.

Epigramma 22.

Ioannes laboriosus 12. ætatis anno.

AD IOANNEM.

CLaua quot Herculeos grauis extudit arte labores.
 Tot numeras annos, dura per ausa, tuos.
Sed tibi quid vani cum vanis Herculis armis?
 Monstrorum hic domitor si quoque monstra facit;
Seque Deum iactat, fictos mentitus honores,
 Vix medijs Hydram victor vt vssit aquis.
At tu mille domas Alcide fortior hydras:
 Attamen ille labor vix tibi ludus erat.
Zodiaco quot signa vides; tot crede labores
 Ire tuos; vnus vix quibus annus ijt.

Epigramma 23.

Ioannes ambit aquas, & ad baptismum inuitat.

AD Christi radios, quos vnda repercutit, ardes:
 Entheus arsurum cor tibi flammat amor.
Cui sic corda flagrant, & vox it publica mundo,
 Quique stat ad solem, quàm benè clamat aquas!

Epigram. 24.

Ioannes ad aquas Salim adit.

QVid tibi cum gelidis arſura lucerna fluentis?
Num tua lux medijs tuta natabit aquis?
Et tibi quid cum fonte, ſacri Vox nuncia Verbi?
Quem tua lux monſtrat, vox canet inter aquas.
Hinc quæris liquida vocis ſub imagine fontem.
Scilicet argutis fons ſonat omnis aquis,
Præcipuè Verbum ſonat, & ſonat amnis IESVM,
Quò fons omnigenis fontibus vnus eas.

Epigramma 25.

Ioannes Baptiſmum inſtituit in Salim & Ennon vbi plurimæ aquæ.

QVo vis appellem te nomine, maxime vatum?
Puluis eras, humili puluere maior abis.
Angelus irradias, puroſque ſimillimus aſtro es?
Angelico fulges clarius igne iubar.
Tu ſacra vox verbo, geminæ tu fibula legis.
Tu tuba dux bellis, dia lucerna ſacris?
Iudicij tu præco, pijs tu ſignifer armis
Phoſphorus Eoo, fontis es vrna Deo.
Nonne Deum liquidis irroras altior vndis,
Vnde bibat puras ſanctior amnis aquas?
Eia. ſona, en verbum in Legem iubet, adſtrue nomen.
Agna litat. liba, Dux parat arma. cane.
Ecce Deus. Deus ecce, ſacri gere ſigna triumphi.
Sol ſurgit: radia Phoſphorus ante diem.
Geſtit, vti video, puris ſe tingere Lymphis.
Si ſis vrna, ſacras imple fontis aquas.
Hinc fata ſeptenis Nimphæ ceu Nilidos vrnis:
Diues inexhauſtas gratia fundet opes.
Et mirer, latices Salim ſi queris & Ennon?
Vnde laues iuges fons facer vndat aquas

Epigramma. 26.

Ioannes Vox ad aquas Salim Baptismum impertit.

SI sonus absit aquis, Vox hinc bibe nuncia Verbi;
Et simul os lymphis adde, loquentur aquæ.

Epigram. 27.

Ioannes primum se Christi aduoluit pedibus, deinde caput aquâ diluit.

CErnuus informi procumbis puluere puluis,
Et dominos supplex lambis, vt vmbra, pedes.
Iamque tuo propior, propiorque ad serpis IESV,
Et pius ambo manu stringis vtraque pedes.
Felix ille cliens, hæc qui vestigia terris
Quærit, & obstipo lumine figit humum?
Est id vt inuideam. sed quis sit liuor amanti?
Tangat vti libuit, dextera casta pedes.
Et qui siccus humi serpsit modò puluis & vmbra:
Is nunc viua Deo diluat vrna caput.

Epigramma 28.

ALIVD.

TV nec vt ima quidem dignus pede vincula soluas.
Et quia non dignus, dignior inde Deo es.

Epigramma 29.

Ioannes aquis intingit Christum, cuius famæ claritudo è Iudæa, toto orbe deinde diffunditur.

VT quid adhuc cæco pernox latet vmbra sub antro,
Dissimulatque suum clausa lucerna iubar?

Latius angustis latebris prorumpet in orbem,
 Nobiliusque feret clarior aura iubar:
Quaslibet immensis radijs metabitur oras,
 Sole sub *Eoo*, sole sub hesperio.
Nunc sed Abrahamias tantum præfulget ad aras;
 Nempe nitet paruâ parua lucerna domo.

Epigramma 30.

Ioannes purissimum Agnum Agnorum in Iordane lauat.

PVrior argento super impluit humor IESVM:
 Irriguum sancto stillat ab imbre caput.
Anne putas, niuei tu velleris abluis agnum?
 Ipse lauat puras, quem lauis, agnus aquas.

Epigramma 31.

E Christi baptismo Iordanis gloria. AD IOANNEM.

PErspicuis natat agnus aquis, cui candor oloris;
 Hunc tamen illimi diluis vdus aquâ.
Quin & maior honos Iordanidas influit vrnas,
 Vt tetigit sanctum purior vnda caput.
Iordanis quos tinget aquis, hos adserit astris.
 Eridanus cœlis astrifer alter erit.

Epigramma 32.

Ioannis gloria è Christi baptismo.

LArgiter ô peccas, es puluis, & appluis imbrem:
 Mundat, & infuscat puluis in imbre Deum?
Tangere parce manu, vel spargere parce liquores.
 Quid nisi turpe coït puluis & vnda, lutum?
Puluis homo, sed vbi solem sic abluis; hauris
 Hinc decus, é pulchro puluere sidus eris.

Epigramma 33.

Ioannes ſeſe indignũ eſtimat, qui pedis obſtragula Chriſto ſoluat; tamen eius auguſtum caput aquâ perluit.

QVæ vix auſa pedes imis attingere terris,
Perfundet domini iam manus alta caput.
Quantus honor! ſupplex manus ab pede ſcandit IESV
In caput: id caſtis credo coronat aquis.

Epigramma 34.

Ioannes Chriſtum ſacris aquis tingit.

AD IOANNEM.

HIs tibi quanta vadis famæ iam gloria manat!
Quantus & hoc orbi candor ab amne fluet?
Geſtit enim caſtis huc ſe perfundere lymphis,
Qui maris & terræ ſceptra ſuprema regit.
Deque oculis emanat amor, qui purior omni
Fonte, nefas ſacris omne piabit aquis.
Quod nequit eluuies immenſis didita ſtagnis;
Diluet hîc parcus iam liquor omne ſcelus.
Nunc age, tende vadis, latices rape; deplue rores;
Tinge Deum; Deus his cætera tinget aquis.
Ecce latus Lymphâ Iordanide merſit IESVS:
In caput è purâ defluit vnde manu.
Addis aquis lacrymas; Iordanis an alter amori
Tu fluis? it certè gratior iſte liquor.

AD IOANNEM.

TVn' cinis ergo Deum tingas? Deus imperat, iſtas
Ardet aquas: riuos fons ſitit ipſe ſuos.
Nunc igitur, quas ipſe ſitit fons, implue lymphas
Vrna liquens fonti ſit tua dextra ſuo.
Præuius ipſe tuo ſoli ceu Phoſphorus ardes:
Præuia tu fonti ſic eris vrna tuo.

Epigram. 35.

AD IOANNEM.

TVne Deo lymphas? sic est. has ambit IESVS.
Vnde lauet riuos, fons sitit vber aquas.

Epigram. 36.

Ioannes in Christi baptismo Nymphas aduocat.

VOs liquido virides hyalo quæ ducitis annos,
Nunc agili Nymphæ carpite fila manu.
Vosque sacri Vates, hæc ad vada plaudite Vati.
Purior hinc omnes influit humor aquas.
Cernite purgandis Christus caput abluit vndis.
Omnis ab his lymphis purus vt amnis eat.
Quis prius eripiat mihi, iam non fulgere solem:
Quàm non casta sacro balnea stare vado.
Balnea, quæ totum sint manatura per orbem.
Quod modò fons; puri pòst mare fontis erit.

Epigramma 37.

PALINODIA AD ANGELOS.

SEd quid ego vanus fallaces aduoco Nymphas?
Quid nisi Nympha reæ est futile mentis opus?
Quin potiùs pictis vos discolor agmen in altis,
Inuito volucres hîc agitare choros.
Quique sonant Christum, puros huc currere fontes;
Castalis hinc castis adfluit vnda lyris.
Eminet his lymphis maiestas arbitra rerum,
Inuideat sanctis stellifer orbis aquis.

Epigram. 38.

Ioannes ipſe homo & puluis Deum lauat.

CErnite, rorat homo, puluis licet arida, Numen:
Quid? ſacer è ſicco puluere riuus eat?
Puluere riuus abit, liquor hinc qui manat, IESVS;
Hunc ſitit, & medio ſtans ſuper amne bibit.
Ergóne puluercam ſitiens Deus ardeat vndam?
Aut bibet ab riuo fons ſatur ipſe ſuo?
Sed quid grande putas parcis hunc ſpargere lymphis;
Qui dabit immenſo fons hic vt orbe fluat.

Epigramma 39.

Monitio ad hominem vt velit conuerſus in fontem transfluere ad Chriſtum.

HVc ades, huc quiſquis regione viator oberras,
Ac viridi ripæ margine ſiſte gradum,
Et dic, vt niueos hæc videris ire per artus
Flumina; cœleſti currere digna domo:
O vtinam! nitidis ego fons ſim lympidus vndis, (a)
Totus & in lacrymas candidus amnis eam!
In caput, inque ſuam memor vt liquor influat vrnam,
Et repetat fontem fons minor ipſe ſuum.
Amnis enim, grato ceu fonte, recurrit in æquor,
Vt bibat æquoreis auctior vrna fretis.
Sic mihi ſiqua foret, te vena requiret IESV.
Vt biberem dulci quo fluis vſque mari.

(a) *Nil crebriùs apud Ouidium quàm homines verti in fontes, arbores &c.*

Epigramma 40.

Ioanne Christum aquis tingente, vox è cælo adlabitur.

QVà procul vndosâ ripâ fæcundus & amni
Enatat Isacidum Nilus, & arua rigat; (a)
Puluis homo rorat, liquidaque in nube Tonantem
Vmbrat, & effusis in caput vndat aquis.
Pro superi! tangat temeraria dextera Numen,
Et manus haud æquo perpluat imbre caput?
Mené pati? trepidas sed quis sonor attonat aures?
Vltor an arsuros flammat in arma globos?
Palleat, incestis cui mens gemit anxia nexis,
At tu parce metu, mens cui pura probro est.
Quæ lauat vnda, trahit mundo de vertice IESV
Mundiciem. nullum manat ab amne scelus.
Sed pietas, & pura salus dimanat in orbem;
Queis lauat, exstinxit fulmina Christus aquis.
Hinc vox attonitas cælo sata perpulit aures.
Quî sine voce queant fulmina mersa mori?

(a) *Iordanis instar Nili exundat æstate & agros irrigat, vti & Euphrates.*

Epigramma 41.

Christi Baptismus Iordanis aquas illuminat. vnde dictus baptismus Φωτισμός Græcis, id est, illuminatio: è quo vti sidere, Christiani relucent.

ISaciam purgat Nympham sacer ἰχθύς IESVS, (a)
Dum regit hibernas Cynthia Iana rotas.

Eluxit

Fluxit in ambrosios, ni fallor, Aquarius imbres;
Nare sacrum castis vidit vt ἰχθὺν aquis.
Sustinuitque rotas, ac sol adstrinxit habenas;
Vt Syrio princeps cerneret orbe iubar.
Exin mille stupet Iordanide nare sub vndâ
Sidera de Christi cœlite natà sinu.
Atque regat, Iordanis aquis vbi stillat, IESVM.
Stellifer an tertis ille sit Eridanus?

(a) *Christus SS. Patribus dictus ἰχθύς, idest, piscis ob baptismum & quia litteræ in ἰχθύς sunt primæ litteræ illius celeberrimæ Acrostichidos Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Porrò 6. Ianuarij creditur Christus aqua perfusus. Epiph. 58. hæres.*

Epigramma 42.

Christus ipse sacer piscis in Iordane innumeros sacros pisces è baptismo gignit.

Astriger astrigeri natat hic sator ἰχθύος ἰχθύς,
His satus ἰχθὺς aquis, nectar vt inde bibat.
(a) Vix cæli liquido videas tres æquore pisces.
Ast his innumeros nare videbis aquis.

(a) *In Zodiaco non nisi sunt gemini pisces, & extra eum piscis Notius Cetusque Andromedæ.*

Epigram. 43.

Chriſtus ſuo Baptiſmo Iordanem conſecrat.

EXpiat illimes ripâ Iordanide lymphas
Chriſtus, & æthereas impluit almus aquas.
Vber inexhauſtis dimanat gratia riuis.
Vt tetigit caſtum candida lympha caput.
Corpus vt vnda: ſacer ſic & cor eluet imber.
Vnde nouum priſco flumine flumen eat.
Nonne vides purum ſecum Deus euehit orbem,
Quem lauit nitidis Iſacis vnda vadis.
Quid? mundum niuea Iordanis an abluit vnda?
Amnis hic immenſo maior it Oceano.

Epigramma 44.

Votum Iordanis vbi Ioannes Chriſtum intingit.

IORDANIS AD IOANNEM.

ABluis ô felix Jordanide Numen in vndâ?
O trahat è Chriſto purior vnda decus!
Quod Chriſtum decuit, quem non decet ibo per orbem,
Iordanis tacitis ipſe ſuſurrat aquis.
Si non Oceani vaſtis ſim largior vndis
Oceano ſaltem ſanctior ibo liquor.
Copia denſarum mihi quo fluat vber aquarum,
Si tot vbique lutum turpe redundat aquis.

Epigram. 45.

Chriſtus aquas ſuo Baptiſmo expiat.

IOrdanis nitidis vndis irrorat IESVM
Sic fluuius fontem iam lauat ipſe ſuum.
Seu potius fons ipſe ſuum ſacer abluit amnem;
Purior vt niueas diluat imber oues.

Epihram. 46.

Votum Iordanis vt Christi ex oculis scaturiat.

IOr, & Dan gemino de fonte binominis vndat, (*a*)
Ad Libani Phialam, quæ bibit inde niues.
Ipse leui quamuis prati secat herbida riuo,
Inque virente natat picta per arua vitro.
Christe tuis oculis fontem sibi quærit, & vrnam;
Ipse suo visus turbidus ire luto.
Hoc oculo, hac Phialâ mallet Iordanis aquari,
Quam Libano, gelidas vnde propinat aquas.
Ambitio & fluuio est, his si manaret ocellis;
Vitrea quæ fluxit, gemmea Nympha foret.

(a) *Ior & Dan gemelli fontes, vnde Iordanis nomen & amnis confluit in Phialam lacũ sub ningido Libano, cuius è liquefactis niuibus aquas hic lacus haurit perennes. Vnde Iordanis vti Nilus, simili de caussa, æstate redundat.*

Epigramma 47.

Iordanis sacer è Christi baptismo fluuius.

DExtera mortalis Iordanide perpluit vndâ
Numen, & alba sacrum diluit vnda caput.
Pura putas mundant formosum flumina IESVM?
Mundantur: niueas consecrat Agnus aquas.
Candida cælestes Naïs iam concipit auras.
Vnde sacer sacras parturit amnis oues.
Diues enim castis exundat gratia lymphis.
Et iam fons alius fonte lauante fluit.
Cor lauat vnus aquis, alter fons corporis artus.
Dic mihi Iordanis duplus, an vnus eat?

Epigramma 48.

Iordanis in Christi baptismo gloria.

NAis vt insueti conspexit velleris agnum;
Cęrula solicitis fræna retorsit aquis.
Prodiga ni potius vomat vbere copia cornu
Nunc alias princeps quas bibat ἰχθύς aquas.

Epigramma 49.

Fons propè Iordanem, vnde hausta aqua nuptijs in vinum vertenda, Iordani inuidet.

VOX FONTIS.

NAiadum liquido gremio fugit vnda per herbas;
Quaque fugit, tacito murmure visa loqui est.
Inuidus ille meos cur inuidet amnis honores,
Qui meruit purè tingere fonte Deum?
Et quantùm hoc tenui vix spargere rore Tonantem!
Ast ego quantus honos! vbere pasco mero.
Si mihi forte suos radios afflaret IESVS;
Auriferis fluerem diues, vt Hermus, aquis.
Aurea nolo Phrygem quæ fallant pocla tyrannum, (a)
Fons mihi sidereas funderet vber opes.

(a) *Midas à Dijs impetrauit vt ea qui se ablueret aqua in aurum verteretur. Vti fabula fingit euenisse in amne Pactolo.*

Epigramma 50.

Ioannes denunciat è Christi baptismo, ceu fonte igneo, viã cælo ineundã.

AD HOMINEM.

AD fontem digitum, radiumque intendit IESVS,
Cui sacra cælesti manat origo domo.

Tinge caput. Libani niue purior ilicet agnus
His enabis aquis, qui lupus ater eras.
Nec minus his adſpirat aquis, quas indicat, ignes:
Luſtrat enim lymphâ, luſtrat & igne reos,
Si ſapis, atra nigrum quem ducit noxa ſub orcum,
Quà fons ſignat iter; trames euntis eat.
Te quacumque trahet, Superas deducet ad arces.
Fons hic vndè fluit rurſus ad aſtra ſalit.
Orbis vti tellus; ſic & liquor aduena cælo
Orbis, & in patrias fons redit orbis aquas.

Epigramma 51.

Ioannes ad aquas Salim Chriſtũ annunciat & eius Baptiſmum adumbrat.

AD VATEM.

Vox ſonat ad fontem, Verbo Vox docta magiſtro;
Voce ſub hac Verbum fons quoque diſce loqui.

Epigramma 52.

Quæſtio.

Cur Ioannes amat aquas, cum Chriſtus ignem ſe miſſurum promittat?

Cur ignes Deus, ambit; aquas homo diſpare voto?
Hunc æſtas, illum frigida gignit hiems.
Tu mage nunc hiemet toto nox algida mundo;
Sol dabit æſtatem, quem ſacra bruma parit.

Epigramma 53.

Ioannes Chriſtum annuntiat,

IOANNES AD CHRISTVM.

Vox ego, tu Verbum. tremulo tibi præcino plectro.
Sic ego Vox Verbo iam lyra facta canam.

Epigramma 54.

Ioannes Agnum Dei oſtendit.

Sæcla diu lentis hæſere implexa quadrigis:
Implicuit fuluas orbita lenta rotas.

Expedit has verbum, ſpiniſque tenacibus orbem
Explicat, è caſtâ Virgine Virgo puer.
Aſt vbi nunc ætas redit aurea, Virginis aſtro;
Feruet inoffenſis orbita panda rotis.
At quò flectit iter, dubiaſque reflectit habenas?
En tibi dux index, hoc duce quære viam,
Quære, nouo mihi crede, viam ſic quærere ſęclo;
Id fuerit metam tangere pænè tuam.

Epigramma 55.

Quæſtio.

AD IOANNEM.

QVid tibi cum Chriſto, Vates noua gloria Vatum?
Vox Verbum, & Solem ſtella ſequêre tuum.

Epigramma 56.

Ioannes Vox in deſerto.

EN tibi Vox Verbi vocali conſona ſaxo,
Siue repercuſſæ vocis imago ſonat.
Næ tu Threicijs Iudæa beatior áruis,
Quæ Diuûm reſonis Orphea paſcis agris!
Vos ô ſaxa, feræque, Cedrique, gregumque magiſtri,
Ite precor, Syrio par modò turba ſolo.
Vos Orphęa chelys trahet illice blanda ſuſurro,
Si non Orphęâ dulcior aura chely eſt.
Induet inde feras alijs noua forma figuris
Quæ fera torua fremit, iam cicur agnus erit.

Epigramma 57.

Ioannes Vox Verbi.

TV Verbo Vox viua, nouæ tuba nuncia legi es,
Si tua lingua Dei eſt, cor tibi cuius erit?

Epigramma 58.

Ioannes quem prisci vates varijs ænigmatibus adumbrant, clarè digito suo demonstrat MESSIAM.

QVem prisci variâ pingunt sub imagine vates,
Dissimulat Solem discolor vmbra suum.
Nunc autem veterum simulacra facessite vatum.
Est index digitus, qui mihi dicat, hic est.
Felix ille dies felicior iste, sereno
Quem lux pura iubet sole perennè frui.

Epigram. 59.

Ioannes Christi laudes celebrat ad aquas.

MVndus ouans læto canit omine & agmine Verbū,
Artificem mundi Vox vbi sancta præit.
Id canit & resonis crepitans in vallibus amnis,
Et strepitans altis quæ ruit vnda iugis.
Suspice nutantem frondoso vertice cedrum.
Crede tot hîc linguas, quot mouet illa comas.
Suauè sonat leni Zephyritis & aura susurro.
Dulce decus terris, blanda quod astra vouent.
Auspice sed Verbo, cui Vox præit aurea carmen,
Quale dedit Bethles astriger ante chorus.
Ne dicam, Superis quod & vsque renarrat in oris,
Seraphicas inter turba canora lyras.
Felices oculi! tales spectare triumphos
Queis datur. vt biberit cor id ab aure melos.
At mage Vox felix, cui sancta susurrat I E S V M
Naïs, & hunc vitreâ fons canit ipse lyrâ.

Epigramma 60.

Pharisæi & Scribæ Ioannem potiùs, quàm IESVM quærunt.

AD SCRIBAM.

ECce tuus Syrijs iam ſol inclaruit oris,
Quem comes affini lumine ſtella præit,
Stella, ſed incertæ quæ quod cynoſura carinæ eſt;
Dux ſit vt agnoſcas nobile ſolis iter.
Aſt magè Ioannem quæris, quàm quæris IESVM
Num tibi cor magnes quod ſua ſtella trahit?
Neſcio ſis magnes, vt amor te ſideris vrat:
Hoc ſcio, magnetis cor tibi durat hiems.
Et durum ceu petra trahis Magneſia ferrum.
Teſtis in imiti ſtans cruce clauus erit.

Epigramma 61.

Ioannes, de quo Chriſtus, quid exiſtis videre? an arundinẽ vento agitatam? Ad aquas Salim degit.

IOannes cur ambit aquas, queis viſus arundo eſt?
Ecquid arundo ſuas non niſi quærat aquas?

Epigramma 62.

A Chriſti baptiſmo Ioannis gloria incipit minui.

IOANNES AD CHRISTVM.

INcipio minui, tua lux vbi creſcit ab vndis,
Nulla lucerna micat, Sol vbi ſurgit aquis.

Epigramma 63.

De Chriſto & Ioanne diuerſa ſors.

IOANNES AD CHRISTVM.

SI vocem & Chriſtum duo dixero ſidera, fallam?
Dic duo ſigna, quibus lucet vtrimque iubar.

Aſt vbi

Aſt vbi iam minuor, creſcis; nec id abnuo, nolit
Ante ſuum ſolem Phoſphorus vltrò mori?

Epigramma 64.

Ioannes Phoſphorus.

NOx abit. vmbroſæ vaneſcunt cornua Lunæ.
Corniger vt Moſes; ſic vetus vmbra cadit.
Lex noua lux. alter cum luce recurrit in orbem
Phoſphorus. is ſoli præuia ſtella micat.
Ille ſuo noctis confinia diuidit aſtro.
Albentemque nouo nunciat igne diem.
Scilicet is lucens, ardenſque Lucerna Tonanti.
Conſcia lux veri, cui pius ardet Amor.
Illius exortu Solymis nox incubat aris,
Inde Deo templum iam ſacer orbis erit.

Epigramma 65.

Ioannes Phoſphorus, ad Argum Paſtorem ſiderum in cœlo.

ARdua cui cyano rident ſua paſcua campo, (a)
Coge gregem. numerum non habet ille ſuum.
Exſul adeſt cœlo nullus quo pulchrior ignis,
Prouidus it terris Phoſphorus aſtra ſequi.
Nempe ſuum ſolem comes igneus ambit IESVM.
Hunc, præit, vt cœlo ſerò ſequatur herum.

(a) *Argus Paſtor Iûs virginis in vaccam mutatæ, plenus oculis, occiſus cœlo eſt adſcriptus.*

Epigramma 66.

Ioannes manifeſta lucerna, foris & domi deliteſcens.

ESto premas alto captiuam pectore flammam;
Mille tamen radijs emicat inde iubar.

Cæca domi laterna lates, domus hoſpita lucis.
At luces alijs clara lucerna plagis.
Sic vbi biſgeminę diſpar diſcrimine ſortis
Scindere; tu conflas pulchrius inde iubar.

Epigramma 67.

Ioannes lucerna Deum oſtendens.

SOl in nube latet. (*Verbum caro*) quæris IESVM?
Quære facem, cæco nata lucerna die eſt.

Epigramma 68.

Ioannes lucerna.

VOX IOANNIS.

FOmes eram ſine luce, nouum iubar adflat IESVS,
Duco facem, patriâ clara lucerna domo.
Et nunc Iſacijs ceu lucida ſtella tenebris
Irradiq: ah! Syrio nox ſilet alta ſolo.

Epigram. 69.

Chriſto naſcente minuitur Ioannes.

DVm ſua lux Verbo creſcit; Vox occidit vmbris.
Vox an ad hoc Verbum lucis eclipſin agit?

VOX RESRONDET.

PVluerearn dedignor humum, iuuat ire per orbes
Stelliferos illuc fert via recta pedes.

Epigramma 70.

VATICINIVM.

Ioannes lucerna breui exſtinguenda.

NOx vetus âſtra premit, denſas quæ diuidat vmbras,
Sed micat Abramiâ pulchra lucerna domo.

Ecce vigil thalamo surdas eliminat vmbras,
  Mentiturque breuem lucida tæda diem.
Vix stetit; infestis sed fax cadit icta procellis.
  Venit ab incesto dira procella toro.
Idque vbi natales Syrij venere tyranni:
  Quid? natalitius nox erit ergo dies?
Nox erit. extinguet fax Cypria nocte lucernam;
  Nil facit ad spurcam pura lucerna facem.
Ab Styge tæda vomit tetros Amathusia fumos.
  Siderium at fundit casta lucerna iubar.

Epigram. 71.

Ioannes licet maximus & Christo proximus; tamen eo crescente minuitur.

VT Vox ipsa suo conspirat proxima Verbo:
  Sic tuus & Christo proximus ardet amor.
Vtque suo propior lux Phosphorus ardet Eoo;
  Sic comes & summo proximus ito Duci.
Pulcher at Eoo crescit si Phosphorus igne:
  Creuerit Eous; principe luce cadat.
Et iubar ipse Deo primis quasi clarius annis:
  Qua Deus it maior lux; minor vmbra fugis.
Ecqua precor, medijs quæ fulsit stella tenebris,
  Audeat ad Solem stare superba suum?

M O R S.

Epigramma 1.

Ioannes vbi Herodem arguit inceſtûs cum Ioſeph Patriarchâ comparatur.

INceſtas epulas, inconceſſoſque hymenæos
Cypride quos zonâ vinxit adulter hymen,
Deſpuit, & duris Vox increpat æqua querelis.
Alter an hic Ioſeph? carcer & alter erit?
Vix breue Ioſephus ſpolium ſed liquit, & vmbram;
Præco ſuum ponit corpus, & exuuias.
Ille fugit: triſtes hic induit vltrò catenas,
Hic Dominæ noxas arguit: ille ſilet.
Hic ſedet in cippo, cæcoque doloris aſylo:
Liber at ille graui compede, ſceptra regit.
Ne quid turpe patret; gemuit ſub carcere Ioſeph.
Ne probra fœda pati Vox pia poſſit, obit.
O quis vocis honos! quàm prouida cura pudoris!
Vel ſpectare nefas, cui graue crimen erat.

Epigramma 2.

Herodias eſto ſuaui odore fragrans, & Arabicas olens delicias, tamen vulturis inſtar, hiat cadauer.

FRons violis, liquidaque comæ cui fimbria nardo
Liquitur, & Syrias purpura ſpirat opes.
Cinnamaque vda roſis, quæ myſta remandit, odoris.
Os vt olens auras quà præit, inde trahat:
Anne putas ſuaues myrrhæ tranſſpirat honores?
Lena meram putri tabe mephitin olet.
Sic potiùs, gratos ceu vultur abhorret odores: (a)
Putida læna putri mente cadauer hiat.

Odit &

Odit & illa rosas, roseique pudoris honorem,
Vatis in ore nigri vulturis hoc & habet.
(a) *Vultur suaues fugit odores, & ambit cadauer.*

Epigramma 3.

Ioannis sanguinem vti dulcissimũ mel Herodes & Herodias sitiunt.

DElicias Siculo quas instruat aula paratu,
Paupere de ferro cippus acerbus alit.
Mors lautas epulas in regia fercla ministrat;
Queis flos Ambrosiæ, siue medulla fluat.
Iam satur, ecce, mero Rex, & Regina leonum,
Dulcia de casto sauguine pocla sitit.
En vocis caput ambo vorant, nec miror Erinnyn.
Id mera dulcedo est, mel furor inde bibet.

Epigramma 4.

Herodias filia præ regni dimidio eligit Ioannis caput.

MOMVS AD HERODIADEM.

QVæ poteras sceptro partiri principe regni
Dimidium; mauis lugubre stulta caput.
Pars vatis cui parua Syro præponderat orbi;
Quam non æqua bilanx ista furoris erat.
Si furor est, odiumque caput, præ diuite regni
Dote legi, est æquo cariùs emtus amor.

Epigramma 5.

Ioannes damnatur, & noxæ deditur.

TVrpe chori pretium cadit, ah! chelys aurea vatum,
Et nigra præda lupæ, candidus agnus obit.
Iam Lestrygoniæ cœnæ prô! quale theatrum! (a)
Sanguineo fumant cædua colla mero.

 Hæc

Hæc meritis merces? dos hæc ſuprema pudori?
Virtus pura graui crimine, crimen erit?
Sol alijs inuerte nouum nunc orbibus orbem.
Si ſcelus eſt virtus; nox ſit & ipſa dies.

(a) *Leſtrygones in Italiâ, vti & Cyclopes in Siciliâ, hodieque Braſili non horruerunt humanis veſci carnibus.*

Epigramma 6.

Caput Ioannis in diſco petit Herodias.

AD HERODEM.

DImidium regni ſpondes? ſed parcito ſceptro,
Rex id habe totum. munera parua peto,
Et breue quid, diſcum quod non benè compleat, vno
Hoc tamen in diſco plurima damna lues.
Sic petit in ſæuos male blanda puella furores,
Seu potiùs dirum docta Megæra ſcelus.
Tum quis vt in cœnâ, cui proximus accubat hoſpes,
Ipſe pedem tacito dum pede tangit, aït.
Qui dat ſidereum Vocis caput, ipſe coronam
Rex dedit, & regnum. nunc vbi ſceptra geret?
Si non & regno quid grandius vltrò Megæris
In capite hoc dederit, quo ſibi funus emit.

Epiragmma 7.

Ioannis caput in diſco, crudum crudelitatis epulum.

LEna mero iam pota, nouum ſitit inde Lyæum.
Ceu ſit inexpletâ Dipſas (*a*) inuſta ſiti.
Haurit enim calidum cæſo de vate cruorem.
Pro cyatho, diſcus ſanguinolentus erit.
Nempe Mycenæę (*b*) nunc rurſus ad orgia cænę,
Hoſpes acerba ſuâ ſymbola morte luit.

Regia cæna meri pro flore bibisse cruorem
Si fuerit. crimen Rex bibe dulce mero.
Non ego. regalis valeant fera pocula mensæ.
Præ satie hac, siccam malo sitire sitim.

(a) *Dipsas; si quem morsu appetierit, nequit is vlla aquarum copiâ sitim explere. Causam vide apud Lucian. de Dipsadib.*

(b) *Mycenis funestum illud Thyestæ epulũm fuit appositum.*

Epigramma 8.

Quæstio.

Quid caput Ioannis argenteâ in lance.

STat caput in mensâ. Lichnuchum crede furoris.
Ardet in argento dira lucerna suo.

Epigramma 9.

Caput in disco exsecrabile ferculum.

EN, caput in disco, natali Regis in astro,
Obsecro, dic, cuius ? piscis, id anne feræ est ?
Heu ! quod specto nefas ! os sacrum pallet in auro.
Impius obscœnas Rex struit ergo dapes ?
Exsecror. infandi si truncus ob ora Cyclopis
Fumat homo ; hæc homines, pascit an esca feras ?

PALINODIA.

NEscio quis tacita mihi voce susurrat in aurem,
Me cubito pinsens, cui pede presso pedem:
Hîc hominem si pascat homo, cui dulcis vti mel
Sanguis: an humanam quis neget esse dapem ?

Epigramma 10.

Seuitiæ dirum ferculum è capite Ioannis.

DIra Thyestææ spectásne piacula cœnæ ?
Rursus adest Atreus, rursus & Vrsa furit.

Rursus & in tristi desoluit imagine pellex.
Rursus & intentat læua proterua minas:
Et lanx cæde rubet. prô ! quis furor iste Medusæ!
Qui ne morte quidem, iam velit ipse mori.
Atque nouam quærit cædem de cæde. nec haustus
Hanc cruor extinguit, quam bibit ira sitim.
Ecquis erit tandem sceleri modus? ipsa cruoris
Si saties rabidis sit sitis hausta feris?

Epigramma 11.

Quæstio.

Cur Herodes & Herodias Ioannem qui est Vox clamantis, tollit?

O Boia mæcha rapit Vocē, & Rex mæchus; vt hęsit
Obuius, An nescis? hic lupus, illa lupa est.

Epigramma 12.

Ioannis Mors.

SIc vatis vatum tristes cadit ergo sub vmbras?
In capite hoc capitum millia mille iacent.
Cui magis illecebræ nocuere chorusque lyręque;
Quam ferus immiti qui metit ense, furor.
Tam tenui pretio venale quod omnibus astris
Vix emat æthra caput; putida Cypris emit?
Si sit emi caput, vltrò rapi sibi dona coronæ,
Ac regni, & capitis splendida damna pati.

Epigramma 13.

Cædes.

SIqua nocet fera, triste nemus sibi quærit, & vmbram,
At sæuit media mœcha leæna die.
Et sibi deposcit munus ferale cruorem;
Quem bibat obscæno lanx scelerata toro.
Quid facit ad cędem Regis natalis Eous?
Impia funestę vespera mortis erat?

Scilicet

Scilicet hoc nasci felici est sidere Regem,
Si iubar exstinguat, quo foret orta dies.

Epigramma 14.

Quæstio.

De Morte Ioannis natali in festo.

CVr vitæ lux iussa mori est Herodis in ortu?
Qui iubet Herodes, mors reor ipse fuit.

AD HERODEM

QVò minus apta loqui est trunco Vox cædua collo;
Hoc magis vlta nefas arguit illa tuum.
Ipsa loqui lacrymis si vita sit apta dolorem:
Mors ipso loquitur sanguine triste scelus.

Epigramma 15.

Ioannis caput iacet in patina. Ipsa pietas queritur.

ERgò lupæ castum vatis caput immolat ensis,
Sanguineoque aperit tramite vocis iter?
Iam tacet & surdo truncum caput incubat auro,
Auro, quod violat purpura dira cruor?
Quæ Vocem iugulat, mihi cor secat illa securis;
Exsecat & linguam sica scelesta meam.

Epigram. 16.

Palinodia.

VIuit adhuc, viuit, Vox narrat & orba furorem,
Ferrea fit truncum iam sibi lingua caput.
Vita tenax animæ dirupit vincula ferro,
Exsul & in ventos Vox leuis aura fugit,
Exsoluitque fidem, quam debuit, obuia Verbo.
Ne magis hanc soluat, mors inopina rapit:
Ah! pietas cum voce pari cadet ergo securi;
Immemor vt tantum supprimat vmbra iubar.
Parce queri, nec triste necis scelus argue; Verbum
Docta perenne loqui Vox nequit ista mori.

Epigram. 17.

E Ioanne epulum ferale Herodes instaurat.

NVnc vbi natales reparat lux annua cænas,
Triste gerit tabo lanx violanda scelus.
Pocula ne desint funesto digna furori;
Dulce dabit trunco sanguis ab ore merum.
Plaude choro, chelyn adde mero. dum cassa silet Vox,
Nec potis est æquis texere verba modis.
Sic equidem credis, sed mors nunc ipsa queretur.
Vox licet icta semel, bis tamen apta queri est.

Epigram. 18.

Ioannis caput & Vox suauissima suaues Herodi deliciæ in cæna.

AD IOANNEM.

MElle mero stillat tibi Suada venusta pudoris.
Non tulit hanc Suadam fœda libido probro.
Hinc os melle liquens Rex in sua fercula vertit,
Hoc quid ni sitiat mel? (a) ferus vrsus erat.

(a) *Vrsus mellis auidissimus.*

Epigramma. 19.

Herodias acu crinali lancinat Ioannis caput.

VIbrat; & elumbes vaga se lupa frangit in artus;
Anguipedemque agili corripit arte rotam.
Et tremulis plectris se mille refingit in artes,
Exos vt vmbra, leui quà trahit orbe gradum.
Quà præit illa, vago sequitur comes ocyor Euro,
Quà sequitur comitem; rursus vt vmbra, præit.
Seque fugit sequiturque, nouumque recursat in orbem;
Stansque breui versat, ceu trochus, orbe rotam,
Inde repens rapido volitans per inania cursu,
It retrò, porrò fugit, nexa volubilibusque

Implicat orſa rotis, refugum ſimul explicat agmen,
Et labirynthæum voluit, & exit iter.
Quo pretio? Vatis caput impia poſcit Erinnys,
Dira quod in diſco lena gemente vorat.
Vulnificâque repungit acu, carptimque laceſſit,
Largior vt digitos perfluat inde cruor.
Quot fodit os ſtimulis; dentes tot crede leænæ,
Queis laniat caſtum lena cruenta caput:
Et totidem ſtimulis caput inde repunget Erinnyn,
Ac quot aget ſtimulos; tot dabit inde faces.

Epigramma 20.

Ioannis linguam vti lyram Herodias acu, ceu plectro, ferit.

TAngis acu linguam? tangis chelyn impia plectro.
Et tamen id neſcis, denuò tangis acu.
Stulta putas? ſilet icta chelys? canet icta: canoro
Attigeris plectro; dic lyra nonne ſonat?
Quid ſonat? an quęris? quoties acus aſpera linguam
Tangit: acu toties Vox canit icta ſcelus.

Epigramma 21.

Herodias acu dilaniat Ioannis caput.

IMmiti compungit acu caput improba pellex,
Quale nec vlla tulit menſa, nec ara feret.
Nempe timet, fœdi ne ſe Vox conſcia probri
Increpet. hoc tanto iam magis icta canet.
Vos precor, æterni cælo qui curritis ignes.
Crimen id æternis arguat æthra notis.
Tuque adeò primus radijs quibus omnia luſtras,
Hanc & acum radijs ſol mihi verte tuis.
Vt quot ſol tereti radios excudit in auro:
Turpe tot indę canant aurea plectra ſcelus.

Epigramma 22.

Quæſtio.

Cur Chriſtus ante Herodem conticeſcat?

CVr Verbum ſilet Herodis ſtans ante tribunal?
Rex Verbo Vocem præſcidit ante ſuam.

Epigramma 23.

Nemeſis Herodis immane parricidium, miratur & exſecratur.

AD IOANNEM.

VSque adeò tu vile caput, Rex inclyte Vatum,
Emtus vt ipſe lyræ crimine & arte cadas?
Teque Cypris ſpurcum quæ mollius ardet Adonim
Immolet, ah! Marti ferrea mæcha ſuo?
Et iam lena procax albis te dentibus, eheu!
Rideat obſcænis ad ſua ſerta probris?
Quid ferro ac epulis? torus an necis ergo theatrum eſt?
Quid caput in diſco? victima id apta gulæ eſt?
An natale decus fœdo lanx obſita tabo?
Triſte caput feſto digna corona toro eſt?
Nil paterâ ſaliente ſapit liquor almus Iacchi,
Ni fluat articulos inter, & ora cruor?
Prô furor! hos igitur lux it natalis in vſus,
Vt rea nox cogat ſidera tanta mori?
Id fuit Eoo naſci ceu ſidere Regem,
Veſpera ſi furuis Phoſphoron vmbrat equis?

Epigramma 24.

Minæ in Herodem & Herodiadem propter Ioannis cædem.

VAtes, Rex, mulier, tria nomina iuncta ſub vno:
Hæc ſcelus, ille necem, tertius arma ſonat.

Arma:

Arma, sed incestam vindex queis subruat aulam.
  Auguror, horrendas detonat ira minas,
Hîc sibi quàm discors pugnat concordia rerum!
  Quid cum Vate lupæ? quid Cypris arma gerit?
Cum dape quid ferro? quid mors cum principis ortu?
  Quid chely cum sicâ? plectra dat illa lyræ?
Pàrdalis obscœno quò nubat adultera pârdo,
  Cur rapit ah! Vocem Martis ad arma Venus?
Nempe suo lituo Vox territat horrida mæchos,
  Asperaque ab duro vindice bella sonat.
Hinc odijs seges, hinc nigra fàx accensa Megærę.
  Hinc metus, eque metu dira libido necis.
Quis furor hic horrere tubam, & sine fulmine Vocem,
  Et nil fulmineę tela pauere manus?
Quòd tuba, quòd tubicen mutas cadat orbus in vmbras;
  Nulla geret victor vindice tela manu?

Epigramma 25.

Quæstio.

Herodes, Ioannes, & Herodias, quid agant?

REx, Vates, pellex; adjurat, publicat, vrget;
  Sceptra, scelus, cædem; Numine, morte, choro.

Epigramma 26.

Nemesis Minæ, Ad Herodem.

MAnat opima dapum cui copia, siue Lyæi
  Vt quid amara sapit mors tibi dulce scelus?
[S]i Venus ipsa sitim largo iam vicit Iaccho;
  At nunc Mars Veneris mæchus & ipse sitit.
[Q]uò rabiem vincas bibe ceu fera sæua, cruorem;
  Cui fluit incesto saucia vena toro.
[V]nde sitim pascas, multo quod sanguine manat
  Hoc caput ah! crudum mortis in vber abit.

Purpureo ſed vbi biberis ſatur vbere mortis:
 Hoc caput atra tui ſanguinis vrna fluet.
Heu miſer! alterius bibis hâc in cæde cruorem
 Ipſe tuum. in Vatis mors tua morte latet.

Epigramma 27.

Herodias inſultat Ioannis capiti, & inde vindictæ timor.

QVâ crines diſpungit acu ſibi lena Leoni
 Nupta; ſacrum Vati ſauciat illa caput.
Nec ſatis eſt cædi. quiſnam furor iſte furoris?
 Sæuit & in mortem. mors potis ergo mori?
Viuit adhuc. ferro neſcit vis enthea vinci. ,,
 Quamlibet infeſtus ſurgat in arma furor. ,,
Os ſilet hîc, fateor. ſed dira minatur in hoſtem,
 Acer adhuc animus vulnera, tela, rogos.
Exprobrat & multo manans os ſanguine cædem:
 Cædem, quam nullis expiet Ætna rogis.
Poſt animam, ſtat adhuc animi pars magna ſuperſtes; ,,
 Si cadat iniuſtá victima cæſa manu. ,,

Epigramma 28.

Caput Ioannis exprobrat Herodi ſuum ſcelus.

REgificos Eos primæua reponit honores?
 Haud ità felici eſt ſidere nata dies.
Quis neſcit caput innocuum cecidiſſe ſecuri,
 Sanguineumque dapes erubuiſſe ſcelus?
An ſilet elingui iam Vox exciſa palato?
 Increpat iniuſtâ vulnera cuſa manu.
Eſt & mors aliquid. nec enim ſimul omnia tollit: ,,
 Viuit adhuc morti poſthuma flamma furor. ,,
Stulte putas ſurdo claudi pia lumina letho? ,,
 Ira memor noxæ, pondera vocis habet. ,,
Iamque oculi prius ambo gemella lucerna ſalutis,
 Dira tuæ flagrant aſtra gemella necis,

Epigram.

Epigramma 29.

Ioanni vocem Herodes excidi imperat.

AD HERODEM.

TVn' miser exstinguas castam & sine crimine Vocem,
Ne canat incesti putida furta tori?
Qualis in immani Thracum qui littore Prognem
Exscidit, infandum ne quereretur opus.
An siluit? Tereu (a) nescis, malè prouide nescis:
Visa mori, muto publicat ore nefas.
Quis scelus id nescit? caput hoc tuba publica mundo est,
Quam nox nulla teget, sera lucerna micat.
Qui duros tenerâ iam non fert aure Catones, „
Durius Eumenidum sons feret inde probrum. „
Fabula sed Progne; Tereus, fraus nescia veri.
Vox hîc iussa mori crimina vera canet.
Quod si pungat acus caput hoc, sata crimine lenę;
Hâc id fama scelus publica pinget acu.

(a) *Thereus Rex Thraciæ Prognen & Philomelam sorores per vim violauit, ijsque linguam exsecuit, ne id flagitium aperirent; quod ipsæ acu in telâ depinxêre. Posteà Philomela & Progne in aues sui nominis conuersæ auolarunt.*

Epigramma 30.

Ioan. Vox Herodis scelus exsecratur.

TEtra Palæstinus nunc Atreus crimina rursus
Cœnat, & immani mors sedet atra toro.
Sol scelus indignans Macheruntide (a) rupe quadrigas
Felix, & in noctem triste reflexit iter.
Et quasi de ripâ refugos Acherontide currus,
Anxius Oceanis mersit Eous aquis.
Sanguineo grauat in nimbo nox impia cœnam:
Cæca verecundus condit & astra color.

 Quam

Quamlibet occæcat : tamen his iubar emicat vmbris,
Arguet hoc ſemper ſancta Lucerna nefas.
Quis ſcit, inocciduo num ſe nunc induat aſtro ?
Quæ ſtetit ante toro, iuſſa lucerna mori ?
Nox certè quot rorat aquis, quot & emicat aſtris:
Tot lacrymis, oculiſque hoc ſcelus æthra gemit.

(a) *Macherus arx munitiſſima, Herodis Regia, vbi cæſus Ioannes.*

Epigramma 31.

Conſcientia Herodem, Herodiademque ſuper cænâ admonet de ſuo ſcelere, & vitæ breuitate.

Tetra cruentandæ nunc ad bellaria menſæ,
Vilius ah ! pomo ſtat ſine luce caput.
Vilior & fungo, ſtat dia lucerna, lucernas
Inter, Auernali quas face Comus alit.
Ergo caput, cælo dos digna, ſub vngue leænæ
Voluitur infami tabida maſſa toro ?
Tun' tantum ſcelus, ô bipedum nequiſſime ? tantum
Tun' ſcelus in Diuos auſus, & auſa Cypris ?
Lude miſer turpes turpi cum Cypride ludos;
Ludicraque exoſum ſit pila veſtra caput.
Ludus & ipſe Deo eſt homo, ceu pila verſa procellis. "
Sed cui pro ludo ſerius angor erit. "
Mane dies ſine nube, roſis qui floret in auro "
Sidereo; furua nocte ſepultus obit. "
Par tua lux. Tyrio quæ nunc adridet in oſtro, "
Funebris obſcuro mox cadet vmbra luto.
Quid niſi vita breuis fugitiua diecula vitæ? "
Quid leue dans hodie, cras ſit vt ipſa nihil. "

Epigramma 32.

Ioannes Lucerna exſtincta lucet; ipſáque Herodias viua ſuis immoritur delicijs.

VT lubet, in riſum laxos diſſolue cachinnos,
Applaudâtque pares turba petulca iocos.
Mors hilaros inter thyrſos hilaraſque corollas,
Inijciet feſto ſpicula cœca Choro.
Quæ ſoror, & coniux fœdos accendit amores,
Par luet illa ſuo cum Ioue Iuno ſcelus.
Coniugis inceſtæque ſororis an ergo piaclum
Is non iure petat, mors cui caſtus amor?
En noua iam medio rota voluitur orbe choreæ,
Iuſta pedes pedicis iam tibi pœna premet.
Diſcolor ad cyathos hæc vertitur alea fati.
Mors, & Vita pari ludit vtrimque toro.
Quem modò mors vmbrat, natale reſurget in aſtrum:
At tua lux Stygijs naufraga ſidet aquis.
Neſcit enim mors illa mori, quæ viuit amori: „
Quæque odio flagrat, viuere vita nequit. „

Epigramma 33.

Herodis & Ioannis diſpar exitus.

PRæ quàm ſtulte velis Rex, & Regina, ſub orco
Alea nunc aliâ voluitur atra manu.
Alteráque aſtrigero nunc vertitur vrna ſenatu.
Aurea purpureas ſors cui ſpondet opes.
Quem cruor inceſtat, decorat ſua purpura vatem,
At tibi fax oſtro rudat inuſta latus.
Excudit ille breui de compede mille coronas:
Te picis in cippo ſceptra peruſta cremant.
Sidereo bibit ille toro iam nectaris imbres:
Mœcha pari tecum mergitur hauſta rogo.
Quem furor obtruncat pulchro fert præmia letho;
At pretium noxę fert lupa iuncta lupo.

Et conſors ſocias admugit vterque querelas.
  Alter vbi læto plectra dat alba thoro.
Sors ea quàm diſcors ! mors viua coronat amorem,
  Addicitque odium mortua monſtra rogo.
Vna dies lucis, ſimul vna fit arbitra noctis. ,,
  Et parit æternum diſpare ſorte diem. ,,

Epigramma 34.

Herodes & Herodias vna peccant, & vna luunt.

HIc cœnę quod ſpecto caput? quem cerno Lyæum?
  Os rubet hîc, trunco defluit ore cruor.
Fercula quis diris ſtatuit Cyclopea menſis ?
  Pardus, & inceſto pardalis apta viro,
Dùm malè laſciuos ſeſe ſuſpendit in artus,
  Et rotat elumbi ſe vaga lena choro ;
Ad thyaſos (omni prô ! voce quod exſecror ardens)
  Mœcha ſcelus, conflat mœchus & ipſe ſcelus.
Quos par culpa, pari iunget par pœna ſepulcro.
  Par nimis æquæuis vrat vt Ætna rogis.

Epigramma. 35.

Herodes & Herodias par luunt ſupplicium.

NEMESIS AD HERODEM.

REx ſalue, ſalue Regina ſimillima Regi,
  Quæ par è ſocio crimine crimen amas.
Pone ſupercilium, quod gloria pinxerat oſtro,
  Et cui clara ſtetit grande corona decus.
Quid niſi Væ miſeris, vindex quibus imminet enſis,
  Imminet ac diro ſæuior enſe rogus?
Ah ! atros Phlegethontæa fuligine poſtes ,,
  Ille ſubit ; mœchæ limina quiſquis adit. ,,
Tu *(a)* Pari teſtis eris, teſtiſque *(b)* Ægyſthus adulter,
  Et teſtis, *(c)* Phario qui calet ignę torus.

Diſcite

Dicite quid vobis cum Voce tubaque Tonantis ?
Nec metus est, ne mors diuidat vna duos ?
Plus nimio vos vna pari sors iunget aheno,
Par vbi vos æquo sulfure flamma coquet.
In caput ipse suum gladias procudit & iras ; „
Quisquis in alterius vulnera tela vibrat. „
Cuique sacram sceleris pudor opprimit vltrò lucernam,
Regna sub æternâ nocte sepulta petet.

(a) *Ob Helenæ raptum Troia excidio luit pœnas Priamus, & Paris.*

(b) *Aegysthus, adulter Clitemnestræ, ab Oreste occisus.*

(c) *Antonius, cui Fuluia vxor, ob Cleopatræ amores periit.*

Epigramma 36.

Conuiuæ, & ipsæ epulæ horrent funestum in disco ferculum.

SPerabam faciles mensa Sybaritide risus,
Queis fluit arguto littera scripta mero.
Sed mihi triste scelus, tristis describit Iacchus :
Perlege funesto pingit in orbe caput,
Quale caput, quæris ? scelus eloquar ? ægra stupet vox.
Sæuus id ab trunco pectore mucro tulit.
Grande verecundo scelus ecce superstes in auro
Discus habet, Stygijs sidere dignus aquis.
In tenues optat lanx credo, liquescere guttas,
Ne ferat immensum facta scelesta scelus.
Suffringique pedes sibi vellet inhospita vati
Mensa, pudet mensam tam graue ferre probrum.
Nec pudet obscœnam (quid non Cypris ausit?) Erinnyn,
Dira cruentato quærere fercla toro ?
Nempe nequit iustas mens conscia ferre querelas,
Quas vox casta sonat, vel tonat ira minas,
Ergóne si tenui quæ lenè susurrat in aurâ,
Ferre nequit Vocem, iam feret illa caput ?

Sed caput in iuftas, velut Ætna, quod ardeat iras,
Circumftantque fuis fulmina fœta rogis.
Par quibus Herodes, necnon Herodias ignis
Deflagret, æqua pari crimine pœna redit.

Epigramma 37.

Herodias faltans in glaciali amne, & fubinde in eo fe contemplans, mergitur.

MArmoreo prius in fpeculo, liquidoque fepulcro,
Ire diu fuetam Naïada vinxit hiems.
Lena fed vt Nireus (fibi mors natat obuia Nireus)
Confulit in nitido, quæ gerit, ora gelu.
Et fefe vitreo transformis in amne figurat,
Et flupet ipfa fuum facta bis vna, decus.
Nec mirata diu volucri ruit ilicò curfu,
Inftabilemque rapit per fola fluxa rotam.
Lubrica fed fragili fallit veftigia vitro,
Æmula marmoreò quæ fletit vnda folo.
Sub pedibus crepitat glacies infida, nocentemque
Haurit inexpletis Naïs auara vadis.
Illa labat, penitoque labans defidit Auerno.
Ifta per vltrices mors venit acta manus.
Quale fcelus! fummo qui nabat in æquore fluctus,
Nunc imis refugit facta Charybdis aquis.
Ab fpeculo cadit in cæcum rea mœcha fepulcrum.
Cui folido pingi flumine, fponte mori eft.
Naufragus infidis alter quæ Nireus vndis,
Si fibi par Nirei forma fuiffet, erat.
Ah miferam! quam vana fui dum ludit imago;
Quod dare debet humo, dat graue corpus aquis.

Epigramma 38.

Herodias in glacie faltitans, demergitur.

HIc vbi lafciuas dat lena proterua choreas;
Infidam glacies lubrica fallit iter.

Atque caput vitreo mors præsecat aspera telo.
Quid? facit & mollis spicula dura liquor?
Et quidni faciat, si mollis & ipsa voluptas
Asperat in durum mollia corda scelus?

Epigramma 39.

ALIVD.

MÆnas inabruptos vaga versat in orgia gyros,
Orbemque saltatorium.
Et salit vndatim ceu capra petulca, vel Ibex,
Lasciuiens in rupibus.
Idque pigros glacies vbi lubrica pumicat amnes,
Sternitque fluxa marmore.
Sed leuipes amplum quà circulus exit in orbem:
Hausit Charybdis capream.
Illa ruit, Stygiosque ruens descendit in amnes;
Orbesque versat igneos.
Nempe caput Vatis medio stetit æquore punctus;
Quod cæca Mænas circuit.

Epigramma 40.

ALIVD.

FLumina frænat hiems, vitreâque coërcet habenâ,
Anxia captiuo iam pede Nympha sedet.
Lena sed exsultim vinctis eludit in vndis,
Et celerem tardo versat in amne chorum.
Sed malè securis mors subnatat horrida stagnis,
Marmoreisque dolos adstruit ima vadis.
Increpitat glacies fugiunt sola perfida mæcham,
Lympha fluit, fluidis mæcha residit aquis.
Miror ego quî lena cauum desidat in orcum,
Quæ leuitas nullo pondere tota fuit?

Epigramma 41.

ALIVD.

DVrat hiems tenuique incruſtat marmore riuos,
Hîc agitat rapidos læta Megæra choros.
Sed reuoluta ruunt liquidi ſuper æquora fluctus,
Perfida quos fragili compede vinxit hiems.
Sauciaque vndoſum glacies iter explicat orco.
Sidit Auernali naufraga præda lacu.
Tum dixit Themis vlta nefas de funere mœchæ:
Do leue corpus aquis, cætera linquo rogis.

Epigramma 42.

Ioannes nunciat in limbo Meſſiam breui adfore.

VT fragilem fregit ferro mors inuida teſtam;
Purior ad Stygias emicat ignis aquas.
Sic modò qui fuerat vix parua lucerna nepotum;
Magnus hic exſtinctis Phoſphorus ibit auis.
Maturamque canet venturo ſole ſalutem,
Sol donec radijs luſtret Auerna ſuis:
Intereà cœco vates erit Heſperus orco.
Alter at Eois Phoſphorus ibit equis.

Epigram. 43.

Ioannes ante ardens & lucens lucerna, à morte magis inclareſcit.

LIngua labat, titubatque cauo vox hauſta palato.
Eloquar? exſtinctâ luce Lucerna ſilet:
Nec ſilet, innumeris tædis clareſcit & aſtris:
Quæ perit impuro rapta lucerna toro.
Quæ ſcelus hoc aperit, lux mille dat vnica luces.
Ante Lucerna noui ſolis Eous erit.

Epigram. 44.

Pius conuiua, cædis memor, nequit ſuum dolorem proloqui.

VT memini, caſtum quem pocla bibêre cruorem;
Pocla verecundo ſanguine docta queri.
Hei mihi! perſidit dolor altus, & ira medullas,
Exſul & exſangui pectore vita fugit.
Vlla nec informi mihi palpitat aura palato.
Tantus anhela metu ſtrangulat ora pauor.
Eſt & adhuc aliud, mihi cur vox hæreat: illam
Vatis ab extremo frigore rauis habet.
De Vocis glacie, quid ni vox rauca ſileret?
Sed quod ſic ſileat; vocis id inſtar erit.

Epigram. 45.

Veritas caput Ioannis peplo intexit, æternum vt viuat.

VT viduum trunco vidit caput arbitra veri,
Et roſeo mergi flumine vocis iter.
Immemor obſcuris heu! puluis inoccat arenis.
Tale decus, Superâ dignius arce legi.
Et ſors atra premit Vatem lacrymabile nomen?
Dixit. & illa ſacrum colligit orba caput.
Ac caſto lacrymas affundit amara cruori,
Quas bibit alterno roſcidus imbre peplus,
Vnde colorandas tingit ſua purpura tramas,
Dedala quas Phrygiâ cura figurat acu.
Ars picturato, viden'? illigat aurea velo,
Quod rapuit ferro lena cruenta caput.
Et loquitur Vox ipſa, ſuo iam poſthuma letho,
Ante ſui partum quæ fuit apta loqui.
Sed nequit iſta mori Vox: cælite viuit in oſtro.
Cur ea bis pereat? ſat ſemel vtrò perit.

Epigramma 46.

Ioannis Baptistæ caput partim exuritur.

IMproba flamma vorat caput, &, vorat improba Voce;
An silet immiti lingua sepulta rogo?
Fama superuolitat pennata flagrante sepulcro.
Iam pro voce parat flamma sonora loqui.
An, cui purpureo vibrat ignea lingua flabello,
Flamma loqui nolit, quod canit æthra iubar?

Epigramma 47.

Crines Sancti Ioannis Byzantij asseruantur.

ADspice sanguineo concretos puluere crines,
Quà bimari latrat Bosphoris ora solo;
Et dic, purpureos Vatis quot specto capillos:
Tot linguas roseo dat coma crine loqui.

Nicephorus Phocas transfert è Syriâ Byzantium S.Ioannis crines adhuc sanguine concretos. Zona. Niceph.

Epigramma 48.

Index S. Ioannis

Florentiæ etiamnum asseruatur: cui eximium adstructum est templum, cum valuis solido ex ære, vbi vtriusque Testamenti historiæ opere inenarrabili expressæ.

VT quid adhuc index Vatis viget integer æui,
Intactusque rogo? rursus an ambit aquas?
Alter an Agnus adest, quem rursus hic indicet orbi,
Iordanisque nouus quo lauet, (a) Arnus erit?

(a) *Arnus fluuius Florentiæ.*

Epigramma 49.

S. Ioannis reliquiæ dæmonas torquent.

NVnc caro iam caries? quàm te ſcelus improbe fallis!
Ardet ab algenti viuidus oſſe cinis.
Exuritque truces extincta fauilla Dracones;
Flamma quid ergo facit, ſi cinis ipſe cremat?

Epigramma 50.

Hæretici Ioannis ſanctitatem eleuant.

AD HÆRETICVM.

OPpugnas vigilem pernox ceu larua, Lucernam;
Strix importunis ſtridet vt aſpera modis.
Effuge Calue, caue Luthere, quid obſtrepis amens
Papilio? pennas fax edet iſta tuas.

Epigramma 51.

Mentitur Chytręus pilos Camelorum, quibus ſibi cilicium S. Ioannes exaſperat, fuiſſe veſtem vndulatam, ſeu Camelot.

MOlliculâ byſſo tenerum latus hoſpes arenæ
Mulcet, obitque leui purpura texta pilo,
Sic rigidas mollire leui vis ſtamine ſetas.
Næ tu mitis homo, cor miſerantis habes!
Ah! miſer; & neſcis; hæc pluſquàm rere, cameli
Hiſpida te cæcâ ſeta remordet acu.
Illa tuam molli damnat de ſtamine byſſum,
Quæ riget hîc ſento textilis vmbra ſago.
Credo, times tenero, mi comtule, mollior agno;
Ne toga te duris mordeat hirta pilis.

Epigramma 52.

Ad Hęreticum.

CVi toga ſetoſis ſtat, vt aſper Echinus, in armis;
Vis tegat hunc molli ſerica chlęna pilo.
Dic mihi, deſertę quam fert pius incola ſyluę,
Hanc tu fers etiam, mollis Adoni, togam.

Epigram. 53.

Ioannis in ſcrupeo ſpecu delitescentis Imago.

VIuit in hoc ſaxo deſertæ cultor arenæ.
Quod prius egit, agit: denuò ſaxa colit.

Epigram. 54

Ioannis Vocis clamantis in deſerto ad aquas Salim Imago.

QVid tibi vis, mutas Vocem qui pingis ad vndas;
Vin' benè Ioannem pingere ? pinge ſonum.
Aut vatem fons pingat aquis, queis blanda ſuſurrat
Aura. dabit Vocem Naïs, & aura loqui.

Epigramma 55.

Ioannis Baptiſtæ qui Vox clamantis in deſerto Imago.

NVnc oculo ſpecto, ſat vt auribus hauſero, Vocem,
Dic, oculus Voci numquid & auris erit?

Epigramma 56.

Viua Ioannis effigies è cerâ.

ADſpicis hunc Vatem, gelidâ qui pallet in vmbra?
Viuit adhuc; perdit quâ perit ipſe, necem.
Poſthuma viuaci cerâ mors ſpirat & igni.
Ardet adhuc letho viua lucerna ſuo.

Ioannes Rhodo præſidium contra Turcas.

Vbi Petrus Daubuyſſon militaris ordinis S. Ioannis, Rhodi magiſtrum agit, Mahumetes ſecundus orbi Chriſtiano terror, & gemini euerſor imperij, & tot regnorum excidijs ſuperbus iam victor, etiã Rhodon, pulcherrimam illam Carpathij maris roſam, magnæ Virgini & Ioanni Baptiſtæ ſacram, it ereptum. Itaq́;, obſeſsâ iam Rhodo, Rhodienſes milites militare vexillum, cui appictus in cruce Chriſtus, Deipara, S. Ioannes Baptiſta, & Ieroſolymorũ inſignia, mœnibus præfigunt. Vbi tum & crux aurea è cœlo adfulſit, eiuſq́; ad latus vili ſub amictu Heros dux, coruſco in agmine apparuit, qui enſem & clypeum hoſtibus obtẽderet; vnde ijs ceu fulmine adflatis incuſſus terror. Inſuper & duo viri humanâ formâ auguſtiores, noctu mœnia obeunt, & vbi Turcæ adſultum parant, minaci ferro, & vultu in fugam auertunt, Rhodumq́ue Solymanno tandem diu poſt expugnandam, ſub Alexandro VI. relinquunt. Sabel. ſupplem. hiſtor. Venet.

Epigramma 57.

Quæſtio.

Ad Diuum Ioannem.

POſthuma bella geris, tibi dum caput exſcidit enſis?
Victor ouans hoſtes quo cadis enſe, metis.

Corona ferrea, quâ primò Cæſares cinguntur, ſeruatur Medoëtiæ in auguſto S. Ioannis templo; quám Mediolani accepit Henricus Luxelburgenſis. Argenteâ verò Caroli Magni coronâ Aquiſgrani inſigniuntur. Aureâ denique iam Francofurti; olim Romæ.

AD ROMĀ.

ROma, tuam vatis tutelæ crede coronam:
 Ferrea nunc, dos hæc aurea Regis erit.
Sors ea pár Vati; quem mors nunc ferrea terris
 Abſtulit; is cœlis aurea ſceptra regit.

Ioannis nomen, vti præclari viri, olim apud Chriſtianos ſcriptum notis; quales Tiro Ciceronis libertus inuenit; & ex eo, & Senecâ Ianus Gruterus typis edidit; item & Eliſabethæ nomen ſic ſcriptum apud Iſidorum legitur.

SCribere vis vatis, princeps cui gloria, nomen?
 Vt potes, innumeris hunc mihi ſcribe notis.
Haud tamen his ſcribes vnum vel vatis ἰῶτα.
 Tot titulos laudum Vox ſonat vna ſuos.

Epigramma 58.

Ad Beneuolum Lectorem.

VOx ſi ſcripta placet; ſcriptam tum dixeris auræ:
 Sin minùs adridet; dic leuis aura ſonat.

ELEGIA

ELEGIÆ

De S. Ioanne Baptiſta.

LIBER I.

EXVLTATIO S. IOANNIS IN VTERO.

Elegia I.

B. Virgo Eliſabetham, & Puer puerum inuiſit.

AD ELISABETHAM.

ANte diu triſtes, hilares nunc clarior horas
Conſecrat in partum Cynthia ſexta tuum;
Aduehit illa decus niueis tam nobile bigis,
Inuideat Lunæ ſol id vt ipſe ſuæ.
Nempe gradu propiore ſuam quam tangit, Eliſam
Virgo parens pulchri muneris auctor adit.
Scilicet inſuetæ vouet omina mira ſalutis;
Fertque nouum puero, ceu pia mater opem.
Iamque volat, volucremque rapit quaſi caprea, curſum,
Non mora, non requies, non petra tardat iter.
Saxa per aſpra ruit, per & ardua, perque fragoſa
Teſqua, giganteo facta ſuperba ſolo.
Nam leuior Zephyris, leuiorque fugace carinâ, „
Ac Aquilæ pennis ocyor errat Amor, „
Quique oculo eſt radius, mentique celerrimus ardor:
Dic, Amor eſt alis & vigor iſte meis.
Virgo viden'? rapidis ſibi quas puer addidit, alis,
Aduolat agnatos viſere læta toros.
Illa quidem puerum gerit; at leue pondus eunti,
Nam puer ipſe leuat grande laboris onus.

Hinc agili volitat pede virgo simillima ceruæ.
  Quem dare frena putes, pusio calcar agit.
Quippe puer matri, pueri sine pondere pondus,
  Dic, vbi flos ramum prægrauat ipse suum?

Elegia 2.

Ioannis adhuc rei querela, peccati agnati expiatio & ardor vtero materno erumpendi, vt Christum adeat.

AH! puer infelix primæui criminis heres,
  Cui scelus est nasci, cætera vita mori!
Cur ego non natus, vinclis innascor, & orco;
  Vt quid adhuc viuam; mors cui partus erit?
Non merui, & graue crimen Auus meruisse nepotem
  Cogit,& in pænas imperat ire suas.
Hinc æquæua reo succreuit echidna nepoti,
  Quam genuit primo crimine fœtus Auus.
Hinc vel abusque rudi vinxit dolor improbus ortu,
  Morsque catenatâ compede vincta tenet.
Damnatusque prius quam natus is aggemit orco.
  Sic mihi visus eras paruule velle queri.
Et quem non ea sors nocuâ prædamnat in aluo?
  Teque adeò fontis quem scelus vrget aui.
Sed bene consuluit primis spes alma querelis.
  Publica mors alijs, fit tibi priua salus.
Esto, cauâ paries nunc diuidat inuidus aluo;
  Et geminâ dispar claudat vtrumque domo:
Sic tamen absentem IESVS contingit alumnum.
  Quò pes ire nequit; dextra medentis adit,
Fratris enim gremio concretam è crimine pestem
  Eximit, & medico diluit imbre scelus,
Seu potius labem sacer expiat ignis ocelli,
  Exuritque reis atra venena fibris.
Et nigra corda sacrâ face lustrat, & imbuit igne
  Cælite; quo purus luceat inde decor.

Altera nunc facies, nunc vertitur alter & ordo.
Præcoce iam gestis spe celer astra sequi,
Scilicet ægregijs cui vis viget enthea flammis,
Ire paras rapido pulchra perausa gradu.
T'en retrahat nexus, longæque coërceat horæ
Circulus, ardenti quem Deus ore trahit?
Non ea mens puero. primo qui maximus æuo es,
Sustineas arcto carcere parue premi?
Sed quid agas? captiua negant vestigia cursum,
Lingua tenax vocem; viscera clausa viam.
Callidus, es noui, quautumuis vincula stringant;
Erumpet roseo carcere victor amor.
Grassatur ferreo ille gradu per tela, per ignes;
Nec teneri vincet mollia septa sinus.
At cecidit spes cassa, tenent, longumque tenebunt
Vincula pennatos insidiosa pedes.
Sed quid vincla nocent? geminos vt vinxit amantes
Qui stat Amor mediâ compede, liber abit.

Elegia 3.

Ioannes ardet materno gremio prorumpere; vt Christum coram salutet.

IOANNIS QVERIMONIA.

DExtra benigna mei mihi si quid donat IESV;
Inuida sors læuo stans pede ferre vetat.
Plura tuli tenero bona quam quis credat, in ortu;
Et quam quis credat, vincula plura fero.
Scilicet includunt arctis imperuia claustris,
Viscera me, blando quem puer ore vocat.
Non tulit hoc, animo qui viuidus excubat, ardor,
Nec feret infestas ianua clausa minas.
Rete scarus, caueam captiua lacessit aëdon,
Agnus & è septo liber in arua ruit.
Idalium sidus medijs erumpere nimbis
Gestit, & aura breui nescit in orbe premi.

Et pre-

Et premat ac perimat? mihi mors breuis iſta ſub aluo
Fit domus ah! lucis ſpes vbi nulla micat.
Si ſim ſtella; priùs quam ſol caput exſerat aſtris,
Fulſero nunc. orto fulgere ſole nefas.
Vos ô felices animæ! contingere IESVM
Queis datur; infelix aſt ego vincla traho.
Quæ nondum peperit, mihi mater acerba dolores
Quot parit, omne fugę dum mihi claudit iter!

Elegia 4.

Ioannes pugnat in vtero materno vt exeat, & Chriſto pręcurrat.

MAgnus vbi paruum properas inuiſere fratrem,
Adſpirans oculo iam propiore iubar:
Ardet hic, indignamque arctâ luctatur in aluo,
Oppugnanſque fores irrita bella mouet.
Iamque ferox animi partes ſe verſat in omnes.
Vota ſed in læuam non benè dextra cadunt.
Quid? ſedeat ſurdo ſub carcere vinctus, & infans
Interpres verbi lacteus? ite morę.
Stat noua cepta ſequi pulchrum meditata triumphum.
Vt pæana canat, vox modò muta puer.
Inuia clauſtra redux validis adſultat in armis,
Rimaturque cauum paruulus hoſtis iter.
Alterno teneros rurſus quatit impete muros,
(Pes aries, varias doctus obire vias.)
Rurſus at in vanas fractus ruit impetus iras.
Spes in vota redit irrita; bella ſilent.
Quid faceret viuâ captiuus compede miles?
Multa gemens aliud tentat, & vrget iter.
Et licet agnatas accudat noxa catenas,
Emicat in tacitas libera lingua preces.
Heu! quid adhuc lentas tardat nox inuida lunas,
Et fraudat celeres ad pigra fræna rotas?
Et tot auara breui claudit mors vota ſepulcro,
Spemque intempeſtâ nube ſepulta premit?

En,

En, rediuiua dies roſeo prælucet Eoo,
Et pueri pulchri lucet ab ore ſalus.
Si ſol tam celeres agili rapit orbe quadrigas:
Lentus ego ſeris lucifer ibo rotis?
Ibo celer; celer ibo. ſequar pede præpete. pulchrum
Si θεός it curſum; quid reſes vmbra moror?
Cur ego tarda traham nonæ faſtidia lunæ;
Sol vbi ſub grauida Virgine pulcher adeſt?
(a) *Deus θεός Platoni dictum à θέειν, id eſt currere.*

Elegia 5.

Ioannis querela in vteri anguſtijs AD MATREM SVAM.

Figit & vrit amor volucri præcordia telo;
Et tacitæ carpunt viſcera noſtra faces.
Et genitrix me dura ſpecu ſecludit opaco,
Dum properat certam puſio frater opem?
Quàm gnato non æqua parens! grauis orſa catenæ
Texis; at intextas pes ſecat iſte moras.
mora. magnanimum vis nulla retardat Amorem.
Ferrea victor ouans clauſtra refringit amor.
Victor iò perrumpo viam. puer ipſe puello
Suggeret alternam, quà iubet ire, manum.
Hoc duce, perfringens tot vincta repagula nodis,
Ocyus inuadam pulchra per auſa viam.
Quia tum victor dabo mille ſuauia Chriſto.
Oſculaque alterno pignore mille legam.
Purpureo ah! rurſus laqueo me innectit & angit,
Bis rea facta parens, quæ dare debet opem.
quid adhuc luctor lunæ cum cornibus? ibo.
Ibo celer Chriſto (ſol meus ille) frui.
Agricomum ceu caltha ſequi comes aurea Solem
Geſtit: Et ipſe pari te puer arte ſequar.
Nunc tam iuſtis (quid tardas inuida?) votis,
Non benè maturas, quod malè ceſſat opus,

Ergo negas gnato; flori quod verna dat Eos?
Præ gnato precium flos tibi maius erit?

Elegia 6.

Toto corporis geſtu Deum loquitur Ioannes.

O quàm ſpes tenero blanditur amica puello,
Omine ceu certo, nec tamen vlla litat!
Neſcio quæ medio lux emicat obuia nimbo;
Spes erat, eluſit ſpem maleſuada fides.
Me tener argutis IESVS adſpirat ocellis,
Ac me pæne manu tangit, & vrit amor.
Iamque meo prælustre iubar promittit honori.
Sol micat, orba tamen ſolis imago queror.
Heu! ego vel medio caligo ſole ſalutis.
Cerne, meum pernox obſidet vmbra caput.
Vincla pios quid adhuc tardant agnata labores,
Et tero ſtans vitæ limine, mortis iter?
Ergòne ſic viuò mater mihi verſa ſepulcro eſt?
Quæ mihi de lethi compede vita fluet?
Qui piceam cœco depellat pectore nubem,
Abrumpatque moras, hei mihi! nullus erit?
Nullus erit? nullus? ſupplex imploro Tonantem;
Atque preces vinclis implico mille meis.
Sed nuſquam radius ſuperâ pellucet ab aulâ,
Nubila candenti qui ſecet atra face.
Quid tandem? laceris ſpes degener ingemet alis,
Nec potis vlla grauis vincere cura moras?
Diſcolor eia nouas iam cura recurrat in artes,
Vis ſi nulla iuuat; fraudibus vſus erit.
Ergo perenne canam, qui Vox eo preuia Verbo.
Quid? loquar hoc verbum, neſcius ipſe loqui?
Sic tamen aggrediar primæui munus honoris,
Anteuolans tardos quos trahit hora dies.
Sit breue quid corpus; ſed vox immenſa per orbem
Ampliat innumeros ad mea plectra ſonos,

Vt tonet

/t tonat æthera minas, vastumque per alta volutat
Murmur, ad Eoas Hesperiasque plagas:
ic & ego grandi prouoluam voce sonores,
Queis tremat emoto mundus vterque solo.
nsuper attonitis (audax quis crederet?) vmbris
Irrumpet stygias & fragor iste fores.
nimis hoc; nec enim pueri vox blanda procellas
Detonat, aut instar rurbinis arma fremit;
cce, cano teneris quid nescio lene susurris;
Factus ego turtur, seu magis Attis auis.
uantus honos! Verbo quod sim vocalis Aëdon,
Et didicit IESVM cor quasi lingua, loqui.
æc vbi sit quæris? vincto ne quære palato,
Apta Deo cunctis artubus ora canunt.
i lyra fit corpus, quot corpore diuido fibras:
Inde tot impellunt & mea plectra fides.
x denas numeres cytharæ sub pectine chordas;
Mille sed in chordis cor mea vota canit.

Elegia 7.
Ardor adeundi Christi in Ioanne.
VOX IOANNIS.

Ictor adest mundo qui vincula rumpat ahena,
Et me purpureus cippus & angor habet?
l micat hîc; & adhuc intempestiua silet nox?
lte pedes: diâ lux face signat iter.
quid adhuc lento pigra luna senescat in æuo,
Si mihi nunc rapido fit fata sole dies?
oliar arte fores, erumpam promptus, & acer
Do caput in casum. moliar arte fores.
id moror? eluctans valido pes ariete claustra
mpulit. illa labant; sed fera vincta tenet.
rea felici frondescit epistola lauro,
Et miser ignoto nuntius orbe sedet.
leo. tange latus, gelidas cor anhelat ad vndas,
Et cupidam fraudant vincla maligna manum?
scit amor, propiore legi iuuat oscula tactu.
Quo celer it Verbum, Vox eo tarda sequar?

Exponit dominus cælum venale sub hastâ,
 Et silet elinguis paupere præco specu?
Gratia pacali præcingit fronde tribunal;
 Et qui vincla reis addita soluat, abest?
Pulcher hymen, pulchra de Virgine floret IESVS,
 Et gemit obscuro pronubus ipse toro?
Dum queror: è motis tremuêre repagula claustris.
 Currit iô; certè currere gestit amor.
Currere gestit amor, pia donec ad oscula Christi
 Iunxero nectareis nupta labella genis.
Me quocumque trahet, sequar illice vinctus ocello.
 Hinc radius cordi blanda catena meo est.
Vinciar hoc radio! radius dum crescit in astrum;
 Crescet ab hoc astro fulua corona comis.

Elegia 8.

Desiderium fruendi Christo in Ioanne.

IOANNES AD CHRISTVM.

O ego te quando rerum dulcissime? quando
 Astringam tenerâ lactea colla manu?
O mea spes! ô vita, salusque! ô ignis, & astrum!
 O quot sub grauido pectore vota tument!
O ego quas lacrymas! quæ suauia, & omina vitæ!
 Quos ego complexus, vincula tincta fauo!
O quot ego his oculis soles decerpo! quot ignes!
 Ne nox ora premat; corda nec vrat hiems.
Astrifer innumeris oculis licet ardeat æther;
 Paruule plura tuis sidera duco genis.
Non ego mille dies numero, longosque labores,
 Annua quos lentis cura reuoluit equis.
Nec mea spes seros sua vota recudit in annos.
 Appulit huc subitum lux inopina iubar:
Grandæuumque nefas, & auita piacula purgat:
 In puero pueros quid nisi pura decent?
Nulla reum si noxa grauat iam digna catenis;
 Vt quid adhuc noxæ me rea vincla tenent?

Intexitque suo me mater auara dolori.
  Dic, alios compes stringat iniqua pedes.
i finis; abrumpam. lex obstrepit aspera lethi,
  Nil mihi cum letho, mens cui plena Deo est.
Quid traho longæuos ad ferrea pensa labores,
  Cui radio tangit cor propiore puer?
Et cui cor dulci flos nectaris imbuit imbre.
  Non sine luce, faui quæ simul instar erit.
Quot meus his radios prælibat ocellus ocellis;
  Et mens illecebris ebria delicuit!
Quid si porrò sinas, largâ mens hauriat vrnâ
  Hoc de fonte merum, tum mare dulce fluet.

Elegia 9.

Nondum natus Christo viuit Ioannes. Ioannes ex vtero matris adloquitur IESVM.

VT puer est, queritur quid nescio flebile vates;
  Voluitur arcanis muta querela labris,
Sed quid opus linguâ, linguæue fugacibus auris?
  Flens oculus tacitis cuncta loquetur aquis.
Quid loquitur, quæris? placido persuadet ocello,
  Et vocat amplexus ô puer alme tuos.
Quà licet, ire lubet. quid adhuc moror? ite catenæ.
  Eia celer volucri spes pede rumpe moras.
Claustra vetant. sed perspicuâ qui lucet ab aluo,
  Ille mihi tenui murmure dicit, abi.
Promptus abi. victorque reis erumpe latebris.
  Si via septa fugæ est; vis breue rumpat iter,
Qui procul immensum spatians eludit in orbem, „
  Includi modico limine nescit amor. „
Victor amor rerum; cui non caput ille triumpho est? „
  Et pede captiuo vincula serua trahit? „
Effringam. rigidis sed nexa repagula claustris;
  Stat manus in manicis, compedibusque pedes.
Sic tamen erumpam, per & inuida & inuia rerum.
  Quà præit hîc Verbum, vox neget ipsa sequi?

Ibo comes, comes ibo. Deum, si vincta palato
Lingua sedet, membris omnibus opto loqui.
Sic tibi nunc viuam, vix dum qui viuo parenti,
Tu puer alme parens me tibi sæpe paris.

Elegia 10.

Ioannes ante suam natiuitatem mira agit.

PArturit alma parens. exspectas virgo querelas?
Plaude, puer matri gaudia sera parit.
Aureus ille puer, primo qui maximus ortu;
Quem coluêre nurus, quem coluêre viri.
Mente virum sapit ipse, rudi vix sensus in quo
Clauditur: è clauso carcere liber abit.
Currit, & angustâ pes hęret compede victus.
Ludit, & adstringunt vincula curta manus.
Cor micat exsultim sua cui vix cordis imago est.
Ante canit pręco; quàm tuba nata fuit.
Ante chorum ducit, thalamus quàm limina pandat.
Ante canit; plectrum quàm manus arte regat.
Astra subit, necdum terris qui serpere cępit.
Ante tubam victor pręmia clara rapit.
Nox grauat; & roseo iam Prosphorus emicat astro.
Necdum gemma tumet; fœta stat vua mero.
Iamque auido pede currit, & igneus ambit IESVM,
Iamque tenet metam; nec via pandit iter.
Cælestes prius haurit opes, quàm colligat artus:
Ante Deo; vitæ quàm sibi tiro sapit.
Entheus ante pio cor spiritus imbuit igne;
Ignea quàm toto corpore vena fluat:
Occupat ante decus regni; quàm corporis vsum,
Inclususque vtero sidera liber adit.
Et regit arma; priùs quam dux sit idoneus armis.
Et rata palma viret, nec sibi pugna stetit.
Ac media de nocte videt sibi surgere solem.
Pænè prior morbo, certa medela venit

Quis

Quis non attonito decus hoc miretur hiatu,
Quale feret vates nullus,& ante tulit.
O puerum! ſed non puerum. miracula rerum
Cui tot in obſcuro carcere vt aſtra, micant
Qui potis eſt miris ſic omnia verte re formis;
Mirus hic inuerſo viuit in orbe puer.
Quis neget? ecce nouos inuertitur orbis in orbes,
Lex vetus ipſa nouæ gloria legis erit.

Elegia 11.

Ioannes ardet ex vtero materno eluctari vt Christo fruatur.

AD MATREM.

QVis dabit vt duro genitrix quem carcere claudit,
Inuida victrici rupero clauſtra manu?
An triſtes trahit ergo moras vox nuncia gaudî?
Numen adeſt; & amans numine tardo frui?
Vt quid enim ſurdis mera nox caput obſidet vmbris?
Quem prope ſol tangit, cur ſine ſole gemat?
Inuideat puero natura nouerca ſalutem?
Inuidet, ac miſeris prægrauat ora modis.
Scilicet inuiſas offundit vt vmbra, tenebras,
Traduce fæcundum crimine crimen Aui.
Fac, propior ſocio contingam lumine lumen;
Ni facis ah! vmbrâ iam minor vmbra cadam.
Annuis? ô! vinclis dolor illigat ærumnoſis.
Reſtat adhuc ternis luna terenda rotis.
Orſa ter illa, ſuum ter & illa retexet honorem;
Ante meum feſto quàm iubar igne fluat.
Hei mihi! ter deno ſpatium vel longuis anno,
Non horas, numerat puncta perennis amor.
Cur pigras numerem lunas lunæue labores;
Cui mora quæque moræ ſæcula longa facit?
His oculis lucis fons aureus ardet IESVS;
Et mihi nox vmbrat lumine caſſa caput,

Virgo, puerque nouis ambo vos sidera sęclis,
Vos precor in tristi spargere nocte iubar.
Si tot inerrantes sol pascit in æthere stellas:
Fas sit, vt & terris Phosphorus alter eam.
Et mihi lux propior celerem maturet Eoum,
Non properet sol in Virgine lucis iter?
Solîgenis vbi virgo regit sacra fræna quadrigis;
Ceu stimulis, radijs quos vibrat, vrget equos.

LIBER II.

VITA IOANNIS.

Elegia 1.

Vbi Vox Ioannes nascitur, Vocis parẽs adhuc obmutescit.

IAm sterili (mirùm) seges emicat aurea campo,
Lactea cui sicco germine vena fluet.
Cui mendax vteri spem sæpè iuuenta fefellit,
Marcet in exsangui mæsta senecta gelu.
Et ceu flos moriens animas exspirat odoras:
Exprimit extremas tristis Elisa preces.
At quod non peperit sol tot vertentibus annis;
Id parit ad paucos luna nouena dies.
Exhaustis vbi iam spes excidit vltima votis;
Quam minimè speres, sera dat hora fidem.
Nunc anus alba parens (coruo res rarior albo)
Parua mora est, partu dulce leuabit onus.
Germinat in florem defœtæ bruma senectæ,
Cui grauidum soluet Cynthia nona sinum,
Conscius interpres Verbi, & Vox vltima priscis
Vatibus, vt Verbo sit tuba prima suo.
Gratulor hoc equidem, valuisque attexo corollam:
Deque sinu, & calatho liba, rosæque pluent.

En, iam mœsta diu sterili de flore iuuentæ
  Gaudia maturâ fruge senecta parit.
Antiquusque ignominiæ pudor, atque doloris,
  Fœdâ seges, partûs gloria sera venit.
Sed fons dulcè liquens quid nescio fundit amari.
  It dolor vt læto turbida vena toro.
Scilicet infrænant captiuam vincula linguam,
  Palpitat informi murmure iussâ loqui.
Florentesque toros tristi mors occupat vmbrâ,
  Seu potiùs mutæ mortis imago premit.
Turpè quid obscuro pater ore remugit & infans
  Hæret, hiatque cauo vox quasi bruta specu?
Nec potis extundi moroso sermo palato;
  Nunc vbi vox verbi nata sonante domo est!
Siccine iam natus puer (ô scelus!) ora parenti
  Inuidet, vt surdâ vinciat illa serâ!
O pudeat gnatum, pudeat sine voce parentem!
  Lis sibi quàm discors! hic silet, ille sonat.
Parce, quid obturbas? nil tale quid ausus alumnus,
  Nec potuit. nedum crimina tanta velit.
Qui silet hîc pater, ipse sibi sua noxa, vel error,
  Suppliciumque suum est, sed puer iste salus.
Audio iucundos iam libera lingua triumphos,
  Plaudit iò, muto vox vbi nata sinu est.
Nunc age iucundos pater, ô pater euge, triumphos
  Plaude, puer dixit. nec mora. plaudis iò!
Ludit in enodi iam libera lingua palato,
  Officiumque manûs occupat apta loqui.
Alternusque pari puer hinc, pater inde, susurro
  Fit chorus; at IESVS ipse Choragus erat.

Elegia 2.

Nato iam Ioanne adhuc mutus Zacharias.

PLaude pater. gelidæ spes floret amœna senectæ,
  Certa vouent diui gaudia, plaude pater.

Vox erat in cursu, tenuere silentia linguam,
  Lingua sub obscuro carcere vincta sedet.
Quippe Deo, & puero qui credere nescijt error;
  Error, siue timor, vincula cœca dedit.
Ille patri linguam strictis compescit habenis,
  Accuditque reis dura lupata labris.
Exciderit dubito, spes omnis & aura labellis,
  Aura repercussos fingere docta sonos.
Nona senescentem iam luna retexuit orbem,
  Quæ toties nasci visa sit, atque mori.
Et vox frustrat adhuc elingui verba palato,
  Ac ferit os brutos murmura balba sono?
Nascere magne puer; viduæ spes sera senectæ:
  Quot lunæ, tot & hîc sæcla doloris eunt.
Nascere, quid tardas modò tam celer ille choragus,
  Qui crispas agili mobilis orbe pedes?
Nascere iam tandem, nonæ post tædia lunæ,
  Opportuna nouam iam vocat hora diem.
Numquid abortiuo stat cruda puerpera fœtu,
  Nec spem maturo germine fructus alit?
Hinc mutus pater, inde parens applorat, & ardens
  Innuit ô flammas ille, vel illa suas.
Vris, & heu miseris tardas solatia canis,
  Quamque parens ægro corde meretur opem.
Huc ades: ô quid abhuc te vis premit inuida claustris,
  Atque tenent vincli nescia vincla pedes?
Ruperis angusto luctantes carcere nodos;
  Rumpet & elingues libera lingua moras.
Quid? necdum tremulis pater impulit ora labellis,
  Vox cui viua puer, candida sæcla canit?
Si lyra pulchra puer; puero pater accinat infans,
  Ipse tacens puerum qui dedit esse lyram.

(a) *Zacharias factus mutus quia Angelo credere noluit prolem promittenti.*

Elegia 3.

Ioannes puer & Zacharias.
ECHO AD IOANNEM.

SEmper an ergo rudem frenabunt vincula linguam?
  Nascere, & arcta piâ fræna recide manu.
Nascere. quid seras partum suspendis in horas?
  Quis scit an è partu vox sit itura tuo?
Nasceris. ô felix! mutæ decus ipse senectæ.
  Quod toties tellus orba, vel astra vouent,
Vocalíque parens nunc erudit ora palato,
  Atque recens nato dulce propinat aue.
Mira fides! gnatus, pater, ô pater, exeo, clamat.
  Eluctansque sinu, patris in ora ruit.
Quaque ruit, teneris secat vnguibus oris habenas,
  Dux ego vox, inquit, me duce, disce loqui.
Fare, quid ô turbas? tali fere verba magistro,
  Nolo parens sileat, Vox cui gnatus erat.
Audin'? ambo pari conspirant corde susurros:
  Alternatque pares ille, vel ille sonos.
Ipse parens puero, puer accinit ipse parenti,
  Alter iò plaudit, plaudit & alter iò.
Vt sonat aura loquace repente voluta cauernâ,
  Æmula cui mimis adsonat aura petris,
Alternosque refert reparabilis ordo susurros,
  Hinc vox, inde redux vocis imago specu.
Sic bene si spectem (ni mens me fallit, & auris)
  Par hîc aura sonat, sed sine rupe sonat.
Et vibrat, alternoque vibrans hinc inde flabello,
  Lingua sonora cauo ventilat ore sonum.
Vox patris vna, puer salue, puer inclyte salue.
  Reddit aue concors vocis imago puer.
Littera si qua sonum fors vna, vel altera mutat;
  Esse patris salue pusio credit Aue.

Elegia 4.

Omnia in natiuitate S. Ioannis exultant, qui Christum nasciturum denunciat.

Candida lux atro discussit nubila cælo,
Ille venit puro qui secat igne diem.
Natus iò pueri puer obses, & augur Eoi.
Hic canit æternum quod vouet ille iubar.
Non si mille tubis sua sidera vertat Olympus,
Litteraue ex omni fulua fluat radio;
Omnis & in virides linguas nunc induat arbor,
Quot numerat syluis aura susurra comas;
Haud queat æthra loqui, tellusue tot obsita linguis,
Quæ puer hic festâ gaudia voce canit.
Nuper vt exultim trepidâ plaudebat in aluo
Paruulus, argutum ludere doctus opus:
Hoc duce sic puero, fausto nunc omine mundus
Aurea venturo numine secla canit.
En, geniale iubar liquidas transfundit in auras
Sol; vbi stat læto nata lucerna die.
Nunc pecus omne thymo saturum, vel rore marino,
Voluit inexpertos prata per alma choros.
Gestit & herbosis leuis agnus, & agna viretis.
Agnus iò Agni principis augur adest.
Natus iò sacras qui fontibus auguret vndas:
Id sonat argutis riuus, & amnis aquis.
Siqua diu tristi silet obsita nocte cauerna,
Accipit insuetum, seu petra clara, diem;
Exsultantque humiles valles, montesque superbi,
Altius attollunt læta per astra caput.
Ille venit, planis qui molliat aspera campis,
Ac æquum facili tramite libret iter.
Auricomo de sole trahit noua caltha colorem,
Lenè tremunt rubri pendula fila croci.
Diues humus varijs intexit semina formis,
Nascitur, ęthereas qui feret vber opes.

Et Libanus placidis loquitur sua gaudia ventis;
Cui viridi comit fronde corona caput.
Gaudia purpureo rosa pandit amena labello,
Et patulis narrat ver sua dona rosis.
Natus. iò natus, sua cui manus indice signet,
Dulce decus terris, quod noua sæcla vouent.
Applaudit placido Zephyri leuis ala susurro;
Æolysque sonant frondea regna tubis.
Ludit, & alterno certantes pondere cedros,
Vertit in vmbrosos sylua canora choros.
Accinit & resonis auræ caua filia saxis,
Littoreoque redux murmurat vnda mari.
Et quis non hylari plausu sonor excitat aures?
Quis sileat, Verbo Vox vbi nata præit?
Vt genuit tetrico tot mœsta silentia vultu
Mundus; io felix nunc tuba læta canet.

Elegia 5.

Ioannes in deserto adhuc puer, omnibus delicijs, sed cœlestibus circumfluit.

AD IOANNEM.

DEsertis quocumque trahis vestigia campis,
Quaque vocat teneros mater Elisa pedes;
idereas circum proceres glomerare videres
Agmina, perpetuis agmina nexa choris.
Hîc prono caput obsequio se sponte puello
Subijcit, in puero fit Leo pæne puer.
litis abit lustris lupus, & lupa raua latebris
Cedit, & hinnulei mater inerma specu.
ardus & ipsa suis iam pardalis emigrat antris,
Ponit & immanes tigris amica minas.
erua simul sancto lac exprimit alma puello,
In puero hic hinnum credidit esse suum.
niquc frondosis Syriæ frondentis asylis,
Alta quod antra premunt, densa vel vmbra tegit,

Aduolat, & molli pueri veſtigia linguâ
  Prælambit, tenero fractus amore lupus.
Inclinant & amœna ſuas palmeta coronas,
  Submittitque pari Cedrus honore caput.
Omne caput fontes, amnes ſua cornua tollunt:
  Pronâ ſed vrna ſuas Naiados vndat opes.
Ima labruſca diu, caput exerit ardua cœlo,
  Et dulcis ſterili vite racenus abit.
Inque vuas hederæ ſtirps educat alma corymbos.
  Et rubet ignotis picta myrica roſis.
Glandiferam pomus comes induit obuia quercum,
  Vlmus alit ſuccis ebria poma ſuis.
Quot numerat Criſpos penna Zephyritide fluctus
  Æolus, aut tremulas ventilat aura comas.
Et tot delicias legit hinc, legit inde puellus,
  Hîc, vbi delicijs ſpes ſibi nulla viret.
Ne mihi quis puerum deſertis credat arenis
  Degere, cui pauper lauta ſit aula ſpecus.
Si breue quid ſaxi magnus quo ſecubat, hoſpes,
  Temnis? at hoc ingens hoſpite creſcet honos.
Non ego prætulerim tali Salomonida, arces
  Spelæo, Superum quod chorus ales obit.
Sol tot vt aſtra breui vidit radiare cauernâ;
  Rupe ſub hac, paruum credidit eſſe polum.

Elegia 6.

Ioannes Chriſtum aqua Iordanis perfundit.

NVnc iſtis erit vſus aquis, quas voluit Iordan.
  Influet auguſtum lympha beata caput.
Quantus honos! ibunt Nymphæ contingere Numen
  Nymphæ, queis auro carior vnda fluet;
Pulchrior & gemmis, nitido decor ibit in imbre,
  Purus vt attigerit candida membra liquor.
Puluereus ſitus ergo Deo veſtigia fuſcat,
  Aut pingui domini planta ſtat vncta luto?

Hic merâ munditiès, nitor ipse nitoris, & ipse
Candor inest. & tu pura lauacra paras?
Dic, quid agent castæ ripâ è Iordanide Nymphæ,
Si niueo Christi corpore squallor abest?
Nos potius putri queis vita sepulta lacunâ;
Diluat albenti prouida Nympha manu.
Nos siquidem miseros atro sub dente draconis,
Turpibus incestat putida Lerna probris.
Eia, nigros niueis Lymphis simul hos, simul illos
Imbue, queis vitæ lympida vena fluat.
Mirabor nitidum turpi modò puluere pectus
Laueris; Alpinas iam superare niues.
Sed potiùs riguâ Christi caput implue dextrâ,
Sic iubet. i; facili iussa facesse manu.
Et si nullus erit squallor; tamen elue nullum.
Inde decora mei forma nitoris erit.
In caput hoc, si fons Iordanide depluet vrnâ;
Appluet in corpus riuos vbique suum.
Quin etiam totum septemfluus ibit in orbem,
Fons, sed inexhaustis qui satur vndat aquis.
Non qui de Libano riguos decurrat in agros;
Sed cui de cœlo lympida vena salit.
Ibit iò Iordan Nilò non parcior amnis,
Cui septem geminis gloria manat aquis.
Idque vbi Christe tuum lymphâ rigat vbere corpus,
Vnde sacer toto defluat orbe liquor.
Quale decus! totum lauis hoc in corpore mundum:
Ceu par diluuio, tantula lympha foret.

Elegia 7.

Iræ diuinæ fulmen in Iordane Ioannes exstinguit.

QVà procul herbosâ ripâ fecundus & alueo,
Denatat Isacidum Nilus, & arua rigat:
Pluuis humo surgens liquidâ sub nube Tonantem
Vmbrat, & affusis vndat vt imber, aquis.

 Prô

Prô Superi facinus! temeraria dextera numen
Tangit, & haud æquo perluit amne caput!
Hoccine terra! meas sed quis soror adstrepit aures!
Vltor an ardentes flammat in arma globos?
Specto tremens. tremulis hinc inde micantia flammis
Fulmina. flumineam quis mihi fundet opem!
Palleat antiquis cui mens gemit anxia noxis.
At tu parce metu, mens cui pura probro est.
Terror, & vltor abest. vox blanda susurrat, IESVM
Tinge. lauat nigras candidus agnus oues.
Quæ lauat vnda Deum, mundo de vertice ducit.
Munditiem his mundus purior exit aquis.
Certa salus hoc amne natat. tu puluis ad amnem
Cum pluis; extinguis cœlite fulmen aquâ.
Nonne vides? sæuum diui posuere furorem,
Quem vetus accendit per noua bella scelus.
Claudite iam riuos. sat tela bibêre liquores
Purpureos, albis gratia manat aquis.
Fulmineas nusquam Iouis excutit armiger alas
Blanda sed hîc blando fonte columba sedet.
Qualis, vti memini, viridi cum fronde columba
Omina Noæ rettulit alba rati.
Illa spei præses, partęque sequestra salutis,
Pacis & interpres, pacis & obses erit.
Hîc Deus egelido restinguit flumine fulmen.
Vt bibat è puro pura columba lacu.
Christus vt hunc tetigit, non vsquam vena liquoris
Suauior vlla sapit nec magè tuta salus.
Totus vt ipse Deo sit mundior hostia mundus
Queis lauet hunc, istas consecrat agnus aquas.

Elegia 8.

Baptismus Christi scelerum diluvium expurgat.

1. *Vbi iam Noëmi diluuium desijt,*
2. *Altera vitiorum eluuies succedit.*

3. *Colu*

3. *Columba ad Iordanem apparens designat eam minui, & depelli. vbi Christus lauatur.*

ABnatat immensum fons omnis, & vndat in amnem,
Seque amnis tumidum vertit in Oceanum.
Proruit abruptis torrens insanus habenis,
Mille secat valles, & iuga mille premit.
Naufragus vndoso mundus cadet ergo sepulcro?
Et premet iniustum non sua regna fretum?
Heu facinus! quod non satis eluat altera Tethys;
Sed piat æquoreum mitior æthra scelus.
Cœruleus virides igitur sal vernat in herbas?
Pro sale, pro spumâ liliâ fundit humus.
Iamque virens medio tellus tumet insula Ponto,
Rursus at in fluctus sæua resorbet hiems.
Altera diluuies nocuum restagnat in orbem
Fœdior hæc scelerum fluctus, & orcus habet,
Noxa vetus spurcis vitijs oblimat alumnos
Seu rea Theti tuos, seu magè terra tuos.
Dardanios Danaosque pari scelus obruit æstu.
Concolor Hesperijs luget Eous agris.
Nec putre diluuium casto quæ diluat imbre;
Vlla natat terris vnda, nec vlla mari.
Atque nouo tam tetra mari nunc crimina purget;
Impius ætherias non sitit orbis aquas.
Rursus an ergo minax æther conspirat & æquor!
Naufraga bella solo, naufraga bella mari?
Quod timui, Stygias mundus cadit ater in vndas,
Anne pari & mundi spes cadit hausta lacu?
Pax emerget aquis, & pacis surculus obses,
Quem feret vndosa læta columba solo.
Ramus abest, absit leue pacis ab omine pignus:
Pax, & oliua sibi pacifer ales erit.
Nulla sed arca natat diuum domus hospita ponto,
Qui lauat hîc arcâ grandius instat haber.

Elegia 9.

Ioannes è vinculis duos è suis discipulis mittit ad IESVM; vt eum Interrogent, sit Messias necne?

AD LEGATVM.

Mitteris ab Syrijs scitatum oracula regnis
Edita, quæ vatum præscia vota canunt.
Idque vbi Iesseides terrâ Iesseide IESVS,
Exequitur seræ grande salutis opus.
Atque rogas, magni stat iussa facessere vatis,
Tu quis es? ô si fas; quærere magna lubet.
Tu proauûm spes prima? salus tu prima nepotum?
Vltimáque æternę sæcula pacis ages?
Adfore iam Syrijs te vox canit omnis in oris, (a)
Vota viri, geminant publica vota nurus.
Et pueri, queis fœda lues inoleuit auito
Crimine, quam nullis eluat amnis aquis.
Mors alios alio super aggere semper aceruos
Pensat, & ima nigris regna triumphat equis.
Vt quid adhuc spes lenta suas suspendit habenas,
Nec properat iustam quam petit orbis, opem?
Indomito compesce potens, data fræna furori.
Te duce, pax niueis blanda recurrat equis.
Ergo celer cui vox omni sonat vnica regno,
Christe veni, lapsis rebus & affer opem.
Vnde tuus tantos mirabitur orbis honores,
Aureaque inde tuum nomen ad astra feret.
Aureus ipse veni, gens surgat vt aurea mundo,
Ac cœlo & terris aurea sæcla trahat,
Aureus his sæclis præfulget opinor Eous.
Nunc vbi tanta Syro diditur orbe salus.
Auspice te quę prisca canunt oracula vatum
Consilio Diuûm, iam noua secla fluent.

(a) *Toto Oriente sub hæc tempora percrebuer. fama ... Iudæa Regem Regum nasciturum.*

Christi crescente gloriâ Ioannis fama obscuratur. S. Andreæ Ioannis discipuli somnium matutinum.

1. *Somniat Andreas sibi videri solem de fonte emergentem, sed protinus euanescentem.*
2. *Alterum videt solem, cui septem planetæ ceu chorus, laudes accinant; quo cantu excitatur Andreas.*
3. *Interim alius Ioannis alumnus, sui magistri laudes celebrat.*
4. *At verò Andreas præ illo Christum illustrioribus exornat titulis.*

VT nigra vela negro iam nox submittere vultu
Cœperat, albenti pallida facta polo.
[I]amque breui profugæ pallent in lumine stellæ,
Quas propiore rubens Phosphorus adflat equo,
[C]um varius rerum species, & inania somni
Signa lege, veri fors habitura fidem.
[N]escio quæ medijs lux surgere visa tenebris,
Seu sol, siue nothi solis imago fuit.
[I]lle breui de fonte nouas emergit in auras.
Ceu mare, quo surgat, fons cui paruus erat.
[A]striger hanc Eon vt surgere vidit Arion (a)
Astrigera laudes accinit ipse lyra
[V]t vidi, perijt, fugitque repente sub vmbras
Sol breuis hic, si non is magè luna fuit.
[A]lter at hic roseo præfloret Eous in ortu,
Cætera qui flammis impleat astra suis.
[F]it mera iam cristallus humus, crystallus & orcus;
Crystallusque canis Nereis ima vadis.

 Scilicet

Scilicet immensę vis nulla stat inuia luci.
Orbis iter radijs perſecat omne ſuis.
Illius illustres cœlum miratur honores.
Cynthius hoc, neſcit Cynthia ferre iubar.
Huic ſeptena dicant, ſeptenum ſidera plectrum.
Et ſeptem ſocias adſtruit æthra lyras.
Quas ſeptem numeris, tot item chorus aſtriger aſtris
Erudit, & liquidis temperat aura modis.
Aura ſuaue ſonans Superûm quæ mulceat aures:
Accinit æthereis ęmula terra choris.
Excitor, ipſe fugit ſomnus cum ſole. ſed hæſit
Poſtera lux. ſcires Numinis eſſe iubar.
At mihi tum varijs trahitur mens neſcia curis;
Hic ſibi quid ſomnus diſpare ſole velit.
Viderat hoc olim, quæ ſera nepotibus ætas
Voluetur, niueis in noua ſecla rotis.
Iam vigil ergo viam carpo: comes hæret eunti;
Qui ſerit alternis verba remenſa modis.
Donec is ad Salim fontes deuenit & Ennon,
Tum ſtetit, & digito quem mihi monſtrat, aït:
Ille vides ſentis ſaga cui ſtant hiſpida ſetis.
Quis ſcit an Elias, maior an alter adeſt.
Et certè Theſbitis honos & gloria floret
Hoc in vate, ſcabris cui toga texta pilis.
Priſcus at Elias (*b*) cælo ſi deuocat ignes:
Queis premat hos, terris hic ſibi quærit aquas.
Forſan hic eſt ſeros quem Sol promiſit in annos
Venturum, miſeris certus vt addat opem.
Et iam tempus adeſt, olim vertentibus annis;
Publica ieſſeio ſurgat vt orbe ſalus.
Sic aït & Solymis laudes has accinit vndis.
Alter ab aduerſo ſed redit orbe ſonus.

Palinodia.

ANDREAS AD IOANNEM.

HActenus auguſtæ tibi creuit adorea famæ
Poſt modo decreſcet. floris id inſtar habes.

Ille quidem paucas adsurgit amœnus in horas;
Sed cum vere breuis gloria floris abit.
Nec tamen inuitus minuere, minorue querreis:
Ab Christo minui, gloria maior erit.
Proximus à primo Vatum celebrâbere Vates.
Auspice quo primus tum tibi crescet honos.
Immenso propius si fers ab Numine nomen;
Tu quasi de tanto nomine Numen eris.
Ibis enim Princeps Vox Verbo, & gloria vatum.
Maior vt exsurgas; sic minor ante cadis.
Nam magnum cui vis vt honor sit maior, I E S V S
Te celebrat. quod das, id tibi reddit Amor.

(a) *Arionem in mare è naui abiectum Delphini excepêre, quos sua lyra vbi demulcet, eum Tænarum vsque deuexêre. Cuius lyra cœlo est dicata. Alij malunt lyram cœlestem esse Orphei citharam.*

(b) *Elias ignem è cœlo descendere iussit in Regis nuncios; & tribus annis pluuiam inhibuit, ardenti sole & siticuloso solo.*

LIBER III.

M O R S.

Elegia I.

Herodiani natalis celebritas Ioannis Insidiosa mors.

VOX CONVIVÆ.

PVlcher io, pulcher natus sol Regis in ortu,
Purpuream puro ducit in orbe diem.
Ille leui in nebula qui candidus vncta pererras
Fercla, Camille mihi funde refunde merum.

Ac tua liba scyphosque nouis præcinge coronis:
In caput hoc niueas sed mihi ninge rosas.
Da quos quisque manu gaudet contigere flores,
Vt cyathos pargam suaue rubente merum.
Rex iubet, i lux festa sacro prælucet Eoo,
Eximium terris quæ dedit ire ducem.
Auspicium vitæ quis non florente corymbo,
Fronde, lyrâ, choreâ, flore, meroue colat.
Comus iò lautis hilarat conuiuia donis,
Cui calidis fumat cœna beata focis.
Iam natalitio multique, bonique litabunt
Conuiuæ Genio, non sine flore meri.
Candida perspicui rumpent crystalla trientes,
Inque garo nardi viuet anhelus odor.
Bacchus iò Bacchus satur orgia ducit in ostro;
Molle tegit Baccho Cypris amica latus.
Quid nisi ventosas in risum ganeo buccas,
Soluat vbi feruet saucia vena mero?
Palpitat, effrenique vagatur, onatque palato,
Deliratque vagis auia lingua modis.
Ni fallor, tremulus fremit hinc, fremit inde cachinnus,
Et sonat argutos sanna petulca iocos:
Ambiguique sales, plaususque, chorique, canorisque
Orgia mista lyris, & lyra mista choris.
Plaudit iò, Euan, Euan, grex thyrsiger Euan;
Plaudit, & Euantem turba proterua ducem.
Rex comes applaudit, vocemque perampla volutat
Atria, clamosis atria quassa choris.
Hos illi ludos primæua spopondit ab ortu
Fama; sed in dirum desinet ira scelus.
Quale nec in Scythicis vnquam sol viderit oris,
Aut si quæ Scythicâ sæuior ira ferâ,
Iam mitis Phalaris, mites Busiridis aræ, (a)
Mites immitis iam Diomedis equi.
Et iam molle Scinis nomen, mitisque Procustes
Astyages duro mollis & ipse toro. (b)
Iam Charis Alecto, iam blanda Minerua Medusa est.
Fitque Harpia nigro non sine felle, Venus;

Iam

Iam draco blanditur tumidas vbi ſibilat iras,
Et leo blandus amat, dum ferus arma fremit.
Quamlibet omnigeni graſſentur ad arma furoris,
Vnicus hic vincit omnia monſtra furor.
Quam reliquis placat fuſi vis larga cruoris,
Hoc cruor effuſus flammat in hoſte ſitim.

(a) *Phalaris, Buſiris, Diomedes, Scinis, Procuſtes crudeles tyranni vel pradones.*

(b) *Aſtyages vltimus Rex Medorum Harpalo filium ſuum ferali ferculo appoſuit.*

Elegia 2.

Herodiadis deſcriptio.

LEna Venus blando fera parturit ore Leænam,
Qualis in Iſacio non fuit vlla ſolo.
Et parit. vt peperit; creſcit furor aſper alumnæ,
Lugubre par matri crimen alumna parit.
Nempe ſuo Regina placet ſed adultera, regi,
Iſaciden Helenam ſic Paris alter amat.
Vnde truces circùm volitat fera cura Megæras,
Liuor, & anguineis quæ viret ira comis;
Inſidiæ, & fraudes, nec inopportuna furori
Ambitio, caſtum neſcia ferre iugum.
Hinc ſitis, vt crudâ bibat hoſtis vtrimque ſaliuâ,
Lugubre quod ſtillat ſica cruenta, merum.
Cerne, ferum vicit ſcelerata Leæna Leonem,
Vnanimiſque feram vincit vtramque furor.
Imperat (inſanam quis vertitur ordo per aulam?)
Quam decet obſequium ferre, ſuperba nurus.
Hinc ſceleri fundus, crudique doloris amaror;
Hinc fons triſte rubens iſte cruoris ijt.
Conſcius hinc probri rubor, opprobriumque coronæ,
Hinc furor ad ferrum, deque furore ſcelus.
Hinc ad pocla (nefas) ſitis ingenioſa cruoris.
Quam calido placat mors ſcelerata mero.

Thyas

Thyas enim turpes ſat vt egit adultera ludos ;
 Attenuat molli ſibila verba ſono.
Vox modico rictu, modicis it vtrimque lacunis,
 It riſus, roſeis it Charis ipſa labris,
Vipereoque fluit ſcelerata ſuada labello,
 Corda trahit formæ gratia rara ſuæ.
Præradiat fronti (ſed frons ebur iſta) pyropus,
 Stantque leui volucres in ſtatione comæ,
Anulus articulos ceu parua corona, decoro,
 Claudit in orbe ; manus cui ſit vt albus onyx.
Quid loquar ? vt byſſus claris oculata Smaragdis,
 Vtque ſub impuro corde monile micat !
Aurea zona latus teretem caſtigat in orbem ;
 Iunceaque angnineis ſtringit imago modis.
Et ſonat armillis dextrâ læuâque lacertus,
 Purpureoque iacens in pede gemma gemit,
Immemor an taceam, radiante ſuperba mitellâ
 Tempora, quæque graui bacca ſub aure nitet ;
Hæc monſtri facies, blandi perſona furoris.
 Cui ſtola cara ; decus vile ſed ipſe pudor.
Arma vides, queis lena duces expugnat, & aulas,
 Pugna ſed hæc molles vincet inerma viros.
Ferrea texta latus, pectus fac duret ahenus
 Vmbo micans ferro, prægrauet haſta manum;
Nil aget imbellem quiſquis vir pugnat in hoſtem, „
 Blandus vbi telis cor petit hoſtis amor. „
Sic vbi ſub molli byſſo blanditur & auro,
 Vincis Idumæum Tyndari lena Parin,
Non Troiæ parit ille rogos (fors fabula Troia eſt (a)
 Sed rapit ah ! toto grandius orbe decus.

(a) *Troia fuerit necne, docti diſputant. quamquam cum Saliano potius crediderim extitiſſe circa tempora Iudicum.*

Elegia

Elegia 3.

Herodiadis ſaltatio prælndit Herodiano ſceleri, & Ioannis cædi.

HErodis venêre dies; ſtrepit aula tumultu,
Menſa mero feruet, de dape fumat odor.
Et ferit, & tinnit variaque laborat & errat
In chordâ, teneros dextera docta modos.
Auritoſque chelys numeros explorat, & aures,
Flexanimaque trahit pendula corda fide.
Et quod non Baccho, Comoque ſuaue theatrum,
Alba Charis ſtruxit, ſtruxit & atra Venus?
Terque, quaterque ſinum ſed deſpue, quiſquis es hoſpes.
Triſte nefas Cypris dulcis acerba ſonat.
Tranſuerſos agit in præceps malecredulus error, „
Et rapit in cladem cœca libido duces. „
Adſpicis hanc blandam formâ Sirenide lenam,
Quæ leuis arguto geſtit vt agna, pede?
Hæc furor eſt, quo non crudelior vlla leænæ,
Vis furit, in molli cui ſedet Hydra ſinu.
Hæc aulæa vides ferâ queis graſſatur in hinnos,
Bellua venantum fallere docta plagas.
Crede mihi, non vana furentis imago puellæ eſt
Iſte tapes. & agit blanda puella feram:
Inde ſeges ſceleri pes ah! trahit ille ſecures.
Queis metat innocuum dextra cruenta caput.
Vt ſpinam ſibi ſpina, ferit rubus ipſe rubetum: „
Sic itidem noxam noxia fœta parit. „
Faſque, nefaſque, pari fraus miſcet adultera ludo. „
Nec ſatis hoc, blandos vertit in arma dolos. „
Ecquis enim ſceleri modus, aut rata meta furori? „
Si qua ſemel nocuit noxa perennè nocet. „
Lude choris. ſtrue ſerta. roſas ſere. funde Lyæum.
Triſtia iucundâ de face buſta gemens.
Fonte quidem lætâ fallax arridet Iacchus. „
Sed mors purpureo denotat atra mero. „

Elegia 4.

Herodiadis salutatio depingitur.

INcrepuere fores, it limine stridor aheno.
Regia Phœbæis personat aula modis.
Lena subit, dubito, num blanda leæna theatrum.
Sed puto, lena venit voluere docta chorum.
Hîc Cypris & Bacchus; vibrat hic sua spicula thyrsum;
Illa facem, tragicum ludit vterque scelus.
Cernis? vti plectro, digitisque micantibus euans
Depectat trepidas blanda Megæra fides!
Vt tremulam tremit ad chelyn, & vibrat ardua cœlo,
Et rotat alternas irrequieta vices?
Ambiguumque volumen oberrat, & explicat orbem
Auguipedem, & rapido vertitur acta trocho?
Elumbique gradu trepidat, fugitatque, leuemque
Rursus inexplicito versat in axe rotam.
Artificemque gradum simul hos, simul aptat ad illos,
Castigatque modos, aut pede plaudit humum:
O qui tunc plausus mirantum, & festa frementum!
Crimen vt attonitis dulce stupent oculis?
Et digito signat; nutuque loquace puellam
Hæc est illa Iouis cælite digna toro.
Vt faciles agitat cursus, facilesque recursus!
Vt redit in numerum ceu rota versa, suum!
Vtque teres latus, adde, teres pes omnibus errat
Apta figura lyris, apta figura choris!
Sic mussat, confertque caput satur hospes Iaccho,
Non satur arte lyrę, nec satur arte lupæ.
Comus vti credis, comes an genialis Iacchi,
Ludit, & innocuo vertit in orbe chorum?
Falleris, infidi te fallit imago Lyei
Ludicra, de ludo seria damna parit.
Ad chelyn ars vbi corda virum suspendit, & aures;
Subruit incautos mors inopina pedes.
Et nunc ille prius molli Rex mitior agno,
Crux modo Circęæ fit lupus arte lupæ.

Aspera-

Asperaque horrificat subrectis ora cerastis,
Quæ sedet in medio dira Megæra choro.
Illa neci tædam prætendit, & arma furori,
Tæda caput signat, dira quod arma metant.
Ludus id, anne scelus pretiosa pericula vitæ
Ludere, de nugis queis perit orbis honos?

Elegia 5.

Herodis iuramentum, & ex eo cædes Ioannis.

SPerabam sine felle sales, placidosque cachinnos,
Quæque labant lepido lubrica verba mero.
Sed sanguis Bromio, sertisque immista securis,
Et Veneris gremio torua Megæra sedet.
Sic salit; vt rapiat saltu Cypris illice Regem,
Sic rapit; vt vati deruat ense caput.
Scilicet incesto male nupta lenęa leoni,
Quid nisi mortis amet præmia digna legi?
Quod non ausa nefas obliuio pota Lyæo,
Lethęoque animæ cura sepulta mero?
Quid non insanis odijs, cæcoque furori,
Cypridis ad tedam, sceptra licere iubent?
Quæ modo lena Charis blando prælusit amori;
Quas non in furias facta leæna ruit?
Nil molli asperius luxu. cor durat in iras.
Excæcatque nigro pectora mersa luto.
Hinc furor, ira, minæ, sitis hinc & auara cruoris,
Hinc cruor, & fuso dulce cruore scelus.
Ardet amans, amensque ruit per tela, per ignes.
Quę sata Tænaris bellua torua lacu est.
Blanda puella trahit, mater fera sęuit Erynnys.
Isacides sciscit iussa cruenta Scinis. (a)
Quodque vouet, reus adiurat. quam iurat ad aras
Cyprigenas, soluit perfidus ense fidem.
Periurumque nefas irato Numine demens
Sancit, & vltorem nescit adesse Deum.

(a) *Scinis latro in Attica famosus.*

Scilicet

Scilicet ira tenax odî cædiſque libido,
Cor adamantæo durat ad arma gelu.
Noxia vox iuro: ſed adhuc magè noxius error.
Dat ſceleri cauſam vox; ſcelus error agit.
Nonne quod adiurat per ſceptra ſuaſque coronas
Crimen, adhuc alio crimine prædo luit?
Aſt animo nolente volens, tamen impulit enſem
In ſcelus, innocuus quem benè tardat amor.
Plumea dos regis fauor eſt, vis plumbea liuor.
Auolat ille, nocens pondus hic vſque grauat.
O caput infidum! fidei ſpes ecqua ſuperſit:
Perfidiâ maius ſi ſcelus ipſa fides?

(a) *Scinis crudelis prædo, qualis Rex Herodes fratri ſuo Philippo, cuius vxorem rapit.*

Elegia 6.

Herodiadi ſaltatrici offert Rex regni ſui dimidium, cui præfert caput Ioannis in diſco.

AD HERODIADEM.

THyrſus ouans folijs & tæda reuincta corollis,
Cum Bromio, & Como gaudia ſæua parant;
Eſt tamen infido fraus hic magè noxia thyrſo,
Eſt quoque plus omni quod face corda coquat.
Ecce, venit blandum meditata leæna furorem,
Quam peperit diro fœta Megæra ſinu.
Quæ nanti pede radit humum, terit, aufugit, vrget,
Excutit, adſultat, tangit, aderrat, abit.
Sollicitatque ſolum ſtricto pede, & obuia paſſim,
Statque, fugitque, pares iungit & inde manus,
Liberat, & librat volucri veſtigia raptu,
Et ſimilis rapido vertitur inde globo.
Vt ſtetit illa; leui pretium graue leno labori
Adſtruit, & duplo pignore diues ait:
Elige. ſtat caput hinc; capiti micat inde corona:
Hinc gladium; ſceptrum ſi lubet, inde feres.

Squallidus hinc carcer, vocat inde ſed aula metallo
Splendida. quàm diſpar munus vtrimque manet!
Haud dubium malis tetrâ præ tabe tiaram:
Quid tibi cum tabo, dos cui munda nitet?
Regia virgato fac, purpura floreat auro;
Et premat auguſtum clara corona caput.
Sed caput in diſcò mauis, præ mille coronis.
Quid furor eſt; ſi non iſta cupido furit?
Vnde ſed innocui tam dira libido cruoris?
Ieiunis caput hoc Vrſa voras oculis.
O quas delicias facit almus Erinnydi ſanguis,
Cælite quem pauit nectare diûs Amor!
Pocula quis ſiccæ non præferat iſta coronæ,
Et caput hoc regno carius eſſe neget?

Elegia 7.

Saltatriculæ è ludo ſerium ſcelus.

Gaudia ſecuro Comus ducebat Iaccho;
Lux vbi natali ſidere læta fauet.
Atra ſed inuoluit tranquillo ſidera cœlo,
Erumpens Stygio dira procella lacu.
Sed cui ver prætexat hiems infida ſerenum,
Ac vbi ludit hymen; lędat vt Hydra, furor.
Cui ſexus viret Euganeo vel mollior agno,
Heu! agit immitem blanda puella feram.
Ludit, at inſanas ludo Charis aſpcerat iras,
Adiuratque truces inſidioſa minas.
Inſuper in ſæuos acuit, ſuà tela furores;
Vt pede ſat luſit; demetet enſe caput.
One vel digito tangas caput altius aſtris;
Clamabat Pietas, ſed manus auſa ſcelus.
Cum pede quid capiti? volucri lupa concita ſaltu,
Stare caput collo cur vetat ergo ſuo?
Ah! quia fert caſtum caput agnus, & indicat agnum:
Lubricus inceſtæ pes nequit ire lupæ!
Sed terror vox caſta lupæ, cæcoque furori
Fax inuiſa, reo clara lucerna toro eſt.

Sideream Stygius torris premet ergo lucernam ,
 Eumenis vnde facem luceat apta choris ?
Pulchrior Idalio sed vti lux emicat astro :
 Sic premet Idalidas casta lucerna faces.

Elegia 8.

Herodius sese ad vindictam ab Ioanne expetendum excitat.

VT fatis arcanos voluit sub pectore fluctus
 Eumenis ; hos toruo rupit ab ore sonos.
Qua via cumque feret, rapiamur ad arma scelestum
 In caput , aut diris fraudibus visus erit.
Quid cessas in bella furor ? male prouide cessas ?
 Degener in fractas excidet ira minas ?
Meque tribus dignam queis sum fata, finge Megæris,
 Hîc vbi iusta subest vltio ; crimen abest.
Et summum scelus audeto dos Regia sanguis,
 In pretium noxæ præmia clara feres.
Perfidiæ stet certa fides. it gloria magno
 Crimine, spem palmæ nobile crimen emit.
Méne pati toties infestæ spicula linguæ ?
 Vis reget hunc hostem , si nequit arte regi.
Vipereo dum lingua vibrat lita tela veneno ,
 Quod pharetra his telis stat caput , ense cadat.
Impia si geminas oppugnat ad arma coronas.
 Grande scelus ferro vindice prædo luat ?
Ille lauet vulgus ; regum non temnat honores,
 Aut sibi pro lympha vena cruore fluet.
Herculeum nodum nostri qui scindit amoris ;
 Scindat ei trunco corpore mucro caput.
Quique nigræ vomit huic thalamo conuicia famæ ;
 Dedecus exoso turpe stet ille toro.
Opprobrijs violare torum, violare coronam
 Audeat, & sceptrum rustica stiua premat?
Nec super vllas honores ? laceris sic purpura pannis
 Cedet, & aula minor carcere splendor erit ?

Inque

Inque suo solio Regem damnabit & ostro,
Nescio quæ vinclis liuida larua suis?
Per si quis pudor est, Regi, Regisque sorori;
Iuro. caput soluet, lingua quod ausa scelus.
Sic effata grauem premit vt Charis alma dolorem,
Pacalique minas celat amica dolo.
Compellansque virum mala sibila miscet, & iras,
Iam fera Tisiphone, quæ modò blanda Venus,
mò trucem risu prætexit amica furorem,
Fallacique tegit tela scelesta sinu.
t tandem Cypris inspirat male suada venenum.
Serpit in arcanas pestis auara fibras.
nnue Rex gnatæ, non est quid grande, quod optat,
Da caput in disco. Cætera diues habe.
Quid? caput in disco? magni tum vatis imago
Clara subit: subdit viua lucerna faces.
ed quid? eam cœco furor ilicet opprimit æstro,
Lethæisque decus nobile delet aquis.
pse suæ Veneri sæuus tum dixit Adonis,
Id tibi dulce mei pignus amoris habe.
quoties olido Paphiæ sub fornice fœdus, „
Incestum casto sanguine sancit hymen! „
quantum licuit ludo, Venerisque furori! „
Fraus emat vt pulchro sanguine turpe scelus. „

Elegia 9.

Deposcit sibi Herodias Ioannis caput; Megæra Herodiadem in cædem impellit.

EVge. places, bellè, festiue, comiter euge
Lude toro: vt viridi caprea læta iugo.
nisi lude. sed heu! trahis ad tua pensa securim.
Mors quid aget, mortem si tibi ludus agit?
eu! quàm difficile est Cyprin orgia ducere ludo,
Nec tamen in sæuas Martis abire minas!
placuisse satis. sed diros itur in ausus,
Præmia deposcis, qualia liuor amat.

Quæ

Quæ pedis in pretium tibi dos iam dicitur? aurum?
Aut roſa de baccis gemmea munus erit?
Siue micans armilla, virenſue monile ſmaragdis,
Aut potius flauis nupta corona comis?
Ecce toro ſpondet rex digna choragia, regnum,
Sceptra Deo adiurat. nec putat eſſe Deum.
Audijt hæc furuis emiſſa Megæra cauernis;
Irrupit medium non ſine torre torum.
Inque ſinum iaculata facem ſtetit: arſit in iras
Dira parens. arſit filia docta ſcelus.
Inuaditque torum quaſſans Acherontida tædam.
Mugit & horrificis orgia ſæua modis.
Diſpumatue atro rabidum cum felle furorem,
In caput, ingenuo frons cui flore rubet,
Ringitur, indignanſque fremit, ſimul ora minaces
Aſperat in rictus, & ſecat vngue genas.
Reſtitit incertę ſimilis, ſimul incita curſum
Proruit, effrænes qua rapit ira pedes.
Nunc rotat hæc crines, oculoſque ad ſidera voluit,
Nunc pede ſupplodit quà patet Orcus, humum.
Nunc dentes terit infrendens, nunc Mænadis inſtar.
Exululat cæcum quà furor vrget opus,
Atque leæ fremit in morem, toruoque cruentos
Igne micans oculos ſpirat vt vrſa, minas:
Et ſibi de ferro, ſibi de Phlegethontide tædâ,
Quærit inexpertę ferrea ſceptra necis.
Quis ternas Furias credat coijſſe ſub vna
Hac Furiat; antus ſęuit in arma furor.

Elegia 10.

E carcere defertur præciſum S. Ioan[nis] caput ad menſam.

PLectra vibrant, Citharęque ſonant, Choreęq; ioc[i]
Ambit inauratos capra petulca toros.
Hæc vbi neſcio quid leue verſat vt anguis, in orbem.
Summa rapax rapido ceu pede, turbo ruit.

He[i]

Heu! caput astrigerâ modò quod stetit altius arce,
  Impius hoc imâ deprimit error humo.
Error hic, anne furor? furor omnis at error amantũ est, „
  In stygias olim deuoluendus aquas. „
Nam simul ac volucrẽ leuipes chorus errat in orbem; „
  Et furor insano vertit in orbe caput. „
Quaque caput rotat ille, leui simul omnia cursu,
  Abripit, hæc quæ non dat rota damna sequi?
Sic nemini, rapido qui vertitur æquore vortex,
  Quamlibet immensas haurit auarus opes.
Nonne vides (credent id postera sæcla nepotum?)
  In sua deposcit præmia grande caput.
Ah sæuam! medijs epulis quid spicula quærit,
  Nataliq́ue struit mors rea fercla toro?
Ad cippum ab poclis, cippoq́ue ad pocula rursum
  Curritur, & dirum lena retorquet iter.
Si quis (vt in cœnâ) sors viderat ire catenas;
  Rex puto natali luce recidet, ait.
Fallitur. immiti mutanda catena securi est.
  Quem bona lux seruet, nox rapit atra virum.
Quem modò sol Regem læto conspexit Eoo:
  Horret inhumanam vespera mæsta feram.
Altera sors mutat, quis non mutatur Iaccho?
  Quem magicis Circe fascinat atra dolis.
Seu potiùs Cypris Circæis pota venenis,
  Efferat in sæuam (quis furor iste?) tigrim.
Adspice funestus iam missus oberrat in orbem;
  Sola tot ex epulis esca cruenta placet.
Nonne benigna sat hîc dapis, & bona copia Bacchi est,
  Vna quid hîc vatis mors, & acerba sapit?
Si cruor hoc omni sit suauior vua meraco;
  I. bibe iam venâ de saliente scelus.
Scilicet hoc epulum debetur, & iste Lyæus,
  Vnde procax diram leniat ira famem.
Rex lupus, & lupa mœcha, lupæq́ue simillima proles,
  Crimen ad hoc vnum, crimina quanta parit!
Felices alij! Cypris si quando pudicis „
  Abstitit atra toris, queis sedet alba fides; „

Elegia 11.

Ioannis dira cædes ab Herodiade persuadetur.

PRô cœli, terræque pudor! Macheruntide petrâ
 Agna cadit, fœdæ victima pura lupæ.
Idque choros inter plaususque, & ad orgia Bacchi,
 Quid? morti & leuibus sit locus ergo choris?
Inque hilari dirum fraus miscet amystide virus?
 O pereat! quisquis fel iubet ire mero.
Quam sapit ô felix! Themidis sub iudice librâ,
 Rex, cui digna pio gloria rege venit.
Degener hic alios animus sed aberrat in ausus,
 Error in errorem quem tragit arte lupæ.
Idque vbi stat, vel mora choro volitante volutim
 Auolat, & madidos errat inante thoros.
Obuiaque innumerum rapit oscula, & addit amoris
 Pignus adoptiuis sæpe marita genis,
Euge, licet, belle! feliciter! omnia pulchrè!
 Et ter iò, Euan, euge, ter euge canam.
Gestit adhuc alios dare saltatricula ludos;
 Quot Cypris hoc ludo seria damna parit!
Ergo tori probro scelus addere suadet Enyo.
 Grande caput turpi dos sit vt apta lupę.
Scilicet augustis hæc gloria digna coronis,
 Impia si maius dedecus aula iubet.
Sed fuerit fortuna parens semel ęqua furori;
 At bis iniqua reo deinde nouerca nocet.
Sit rea nunc fortasse; reis vbi militat armis:
 Dum pudet esse rean plectet id vlta scelus.

Elegia 12.

Ioannis caput in disco infertur conuiuio.

NVnc vbi regali sol clarior ardet Eoo,
 Solennesque iubet stare vel ire choros,

Artificesque parare dapes, calicesque falerno;
Vnde fluant dulci gaudia fusa mero.
Et vox vna fremit latis circumsona tectis;
Viuat io viuat Rex mihi viuat iò.
O annos Rex viue meos sic apprecor annos
Viue tuos; omnis verna vel hospes ait,
Rex tot item ducas calices. quot ducimus annos,
Natalemque hilaret ver tibi iuge diem;
Sed quod specto nefas, Bacchi plaudente theatro?
Mens fugit, os pallet, flebile specto caput.
Et cruor indignans salit,& ferit ora Leęnę,
Et saliente fremens exprobrat imbre scelus:
Siccine natalis thalamus fit triste sepulcrum?
Cœna cruenta nigræ stabit arena neci?
Viuat iò ter iò Rex, siccine clamat Iacchus,
Si vox iussa fuit Rege iubente mori?
Quid cum cæde torus genialis,& ara Lyęi?
Quid cum delicijs mors, furor, ira, cruor?
Iucundas epulas istos num Comus in vsus
Struxit; vt insidias belua blanda struat?
Et Syra Tisiphone furias meditetur amicam
Ad chelyn, ac molles vertat in arma lyras?
Nescio quid semper mulier cui sexus, & ætas
Imbellis validis pugnat iniqua viris.
Atque vbi festiuos poscit lux festa lepores;
Tum violat niueos ad nigra fella sales.
Eloquar infandi scelus exitiale Procustæ?
Sęua leui peperit dum pede lena necem.
Ebria purpuream despumant pocula mortem,
Et parat incestas regia mensa dapes.
In, ferro vox icta ruit, ruit icta; ruentem
Occupat, & Męnas diripit vngue caput.
Si mihi quid credas; tigris non sæuior vsquam
Vlla furit, molles quàm lupa docta choros.
Maiorum testor cineres, manesque pudicos,
Quos tulit immiti plurima Mœcha dolo.
Sic memini) duris tigris Sidonias armis,
Thesbiten Arabos depulit in scopulos.

 Quid

Quid tibi vis mulier nigris digniſſima barris,
Tuque adeò crudo cui flagrat ira mero?
Vt quid inhumanum funeſtis Atrea menſis,
Væ! tibi prædo lupâ de ſaliente paris?
Non tam flore meri, quàm quem bibit imbre cruoris,
Credo, reum cyathis erubuiſſe merum.
Nec dubium quin triſte ſcelus, diroſque latronis
Effugere optabas ſæpè Lyæe toros.
Et viduis fluxêre comis hinc inde corollæ:
Fluxa corolla necis lugubris omen erat.
Omnibus en, violis αἰ queis modò legerat hoſpes,
Nunc is io (vatis quæ nota prima) legit.
Seu potius vetus αἰ nunc in væ tranſit, & ᾽αἰ;
Pro violis, ſpinas Rex lege digne rogo.
Væ tibi! vę mœchæ! rabidæ væ triſte puellæ!
Si qua puella fuit, quæ tigrin arte facit.
Αἰ ἀεί væ vobis, ſed vati ſpes canit ἀεί.
Vnde canat plectro cœlite ſemper io.

(a) *αἰ, id eſt heu in violis videtur ſcriptum.*
ἀίε, id eſt ſemper.
Io *prima in Ioanne eſt ſyllaba triumphi nota.*

Elegia 13.

Ioannis caput planè regium ferculum.

M O M V S

Herodem irridet, ſimulque terret.

COEna calet, cœnæque ſonat geniale theatrum,
Thuſque coronatis libat acerra focis.
Admiſſi thalamo Proceres ſperatis Iacchum?
Fercula tincta garo, pocula læta mero?
Aut leporum pulpas, mulloſue, Iouiſque cerebrum?
Lac Veneris, vel ſi ſuauior eſca ſapit?
Quis queat hæc priuis epulis cœnare popelli:
Grandius expoſcit regia cœna decus.

Res nimium plebeia lepus, grus, caprea, ceruus,
Pauus & è Colchis discolor ales agris.
Et Como comes Ambitio, fastusque Lyæo est,
Diuite cui splendent pocla superba toro.
Nil lepus hîc regale sapit, nil hœdus, & hinnus,
Ni lanx delicias sanguine pota bibat.
Vatis, & eximij caput huc inuitat, Idumen
Qui regit; hinc epulum quò sibi dulce struat.
Scilicet hoc deerat natali Regis honori;
Vt ferus humanâ se dape pascat homo.
Crede mihi, laus est Regum dignanda coronis;
Vt qui vixit homo; se velit esse feram.
Inque sacrum caput ad thyasos, citharasque facesque,
Scurra satur Baccho, vel dape, probra vomat,
At quas Circæia sic efferat arte Dione;
Opprimet has Nemesis facta Diana, feras.
Iamque suis designat Adrastia Diua sagittis
Pardalin, & pardum. par scelus ambo luent.
Concordes Parcæ parili de stamine fusos ,,
Ire iubent; sontes par vbi pœna manet. ,,
Qui caput hoc insons, Amathuntida sæuus ad aram
Immolat; ipse nocens victima Ditis erit.

Elegia 14.

Admiratur conuiua caput Ioannis insolens, & crudele natalitiæ cœnæ gaudium.

QVERELA CONVIVÆ.

FAx natalitios solennis adoptat honores,
Et pingues nebulas vncta lucerna vomit.
Funde merum cyathis tribus; & dabo terna rubenti
Oscula crystallo, qualia Bacchus amat.
Rex salue, consorsque pari Regina iuuentâ,
Ver vbi genua virent, duc geniale toro.
Viue diu. scyphus Herculeus tot hic ebibet annos,
Quot sonat Herodes, & sua Iuno notas.

Iam natat in patinis mens. sed quod specto piaclum?
  Nescio quis stillat lance rubente liquor.
Adspexi propius, tristi caput incubat auro,
  Cui riget impexis horrida sylua comis;
Id cuium est? cæsumne rei caput istud, an hostis?
  Prò scelus! hîc vatis lugubre specto probrum.
Tum conuiua graues tacito sub dente querelas
  Mandit, & hos surdo mussitat ore sonos.
Indignum facinus! turpatos sanguine crines!
  Sustineat tantum regia mensa nefas?
Ergóne natales epulas struit vrsus Idumes;
  Vt fluat innocuus pocla per atra cruor?
Impius adiuras vitali lucis in ortu,
  Heu! nimium duræ vota scelesta necis!
Idque leui saltu, lupa quem rapit incita vento?
  Hoc caput heu! merces digna sit ergo choro?
Impia cum citharisque, lyrisque, chorisque, rosisque,
  Aufer in vndosos, Æole, monstra lacus.
Audeat immanes prò comtula lena furores?
  Quid gladio & speculo? bella puella geret?
Ipsa suum mœcho sceptrumne extorsit & ensem,
  Dux Cypris arma gerit; Mars vt inermis amet?

Elegia 15.

Herodem Manahem conuiua & amicus arguit.

VT Baccho iam victa sitis; sitit vrsa cruorem,
  Cui ieiuna nouam parturit ira sitim.
Id quod enim viuis oleum fit pingue caminis,
  Hoc odio est, vncto qui cadit ense, cruor.
Quin & inexpletum pascit fera cæde furorem:
  Inque epulis epulas mors struit ipsa suas.
Cerne. verecundo schyphus, & lanx omnis in auro
  Erubuit diras ad sua probra feras.
Vertitur hæc inter tristi rea mensa pheretro,
  Carnificesque armat turba scelesta manus,

Euantesque

Euantesque choros inter fera ludit Erinnys,
Nata viros thyrso cædere sanguineo.
Rursus inhumanos credas cœnare Cyclopas,
Queis homo sit crudæ preda cruenta gulæ.
Tu cui iucundę frondosa per orgia mensæ,
Prælambunt teneras myrtea serta comas,
Si sapis, ô demens, ne cuilibet inijce dextram;
Et cui te monstro credis, id ante caue.
Falleris, hîc blandam si ludere credis amicam.
Męnas in hac vna Mænade cuncta furit.
Parturit hæc omni lupa pardale sæuior iras,
Quæ sibi de taxo & comit ense caput.
Heu! vbi conuiuas hilarat festiuus Iacchus,
Impius incestat pocla cruenta dolor.
Siccine natales tu mortis in orgia ludos,
Feralique bibes pocla cruenta mero?
Sic tibi iucundæ tristi sub imagine vitæ
De dape, deque mero gaudia festa fluunt?
O malé nupta tuo Circe furiosa Lyæo!
Te quantum magicâ mutat vt arte Cypris!
Sed Venus, vt molli percussit pectora thyrso; „
Asperat imbelles Martis in arma manus. „
Instituitque choros fera queis præsultat Erinnys, „
Vnde chori circo pompa furoris eat.
Ast vbi sic aperit tristi se scena theatro; „
Panditur æternis ianua furua rogis. „
Vt lubet, æterno duc orbe volubilis orbem:
Vltimus huic orbi punctus Auernus erit.

(a) *Manahem fuit cum Herode adhuc infans educatus, postmodum Christi alumnus.*

Elegia 16.

Capiti S. Ioannis illudit Herodias.

SCilicet hoc deerat iam tot post sæcla ferarum;
Vt struat humanas regia mensa dapes.

Hinc vt inhumanos paſcat ſcelerata leænas
  Baſſaris, imbelli quæ ferit arma choro.
Quid non liuor atrox, & vis non audeat orci?
  Sidereum ſtygio deripit enſe caput.
Rarius haud quidquam, nec quidquam dulcius iſto
  Ore, merâ nardo vox cui nectar alit.
Id tamen immiti diſcerpit Pardalis vngue,
  Nec ſatis hoc auido pectore dira vorat.
Quod ſi dente fero non mandit; mandit, auariſque
  Haurit hians oculis, belua torua caput.
Delicias oculis facit horrida mortis imago,
  Exprimit è tabo quod ſitit ira merum.
Vnde bibant liquidum iam lumina ſicca cruorem;
  Quam crudis oculis ingenioſa gula eſt.
Et Baccho & tabo tandem ſatur inquijt hoſpes;
  Sit ſatis hoc, aliâ ſed furit arte Venus.
Qua cirros diſpungit acu ſibi lena, leoni
  Nupta ſacrum, vati ſauciat ipſa caput.
Mite ſit Atræis nomen iam fuluia menſis,
  Queis periit Latij gloria rara fori.
Os hæc figit acu: caput abripit illa ſecuri.
  Suadæ hîc lingua perit: Vox ibi ſancta ſilet.
Cælituum ſacrum interpres, Vox docta pudorem.
  Vox in Idumęas auſa tonare tigres.
Exprobrat hæc hoſti, fidum necat ille parentem,
  Hîc cinis in Marco; Vox ibi viua perit.
At quanto ſacra lux Verbi, quàm Tullius, ardet:
  Pulchrior: hoc tanto mors magis illa grauat.
Cernis adhuc oculos media vel morte minaces?
  Fulmina torua vibrant, & ſine nube tonant.
Statque animus vindex vitâ fugiente ſuperſtes,
  Victuras animans in tua buſta faces.
Atroque è nimbo truncum caput increpat iras,
  Iras quas nullis expiet imber aquis.
Indignanſque nefas, ſua lumina flectit in vmbras.
  Tantus inhumani criminis horror habet.
Pro ſcelus exitiale! ſilet Vox orba palato;
  Et tamen hanc vocem regia ſceptra tremunt.

Hæret

Hęret enim memori sub corde cruenta securis,
Exanimique animus spirat ob ore minas.
Vt semel admissum circà pręcordia crimen ,,
Hęserit; hęc semper dente tenace fodit. ,,
Inque dies sceleris semper succrescit imago ,,
Maior, & hinc plures pascit inusta faces. ,,

(a) *Fuluia Antonij vxor Ciceronis caput acubus confixit, è Fuluia iam facta Furia.*

Elegia 17.

Illudunt impij conuiuæ Ioannis capiti.

ISacis Alecto crudis an credimus ipsum
Nunc oculis haurit, quod tulit ense caput.
Quin & Rex auido vorat improbus heluo hiatu.
Lautus homo! tali cui dape victa fames.
Quot Bacchus, Bacchique comes Cypris euomit iras! ,,
Quotque parit mortes si lupa iuncta lupo est! ,,
Sydereum caput in stygijs fera victima monstris,
Torua cruentanda lance quod vrsa vorat.
Ah iacet, adludos, & adorgia plena furoris,
Euantesque lyras, carnificesque choros,
Eximium caput ergo virûm, caput altius astris,
Lusus erit, rapidis ceu pila versa notis?
Impia iam trunco quis non canit ocyma vati,
Impia quæ sacrum despuit ore caput!
Quis non hîc teneras atro sale perfricat aures,
Momus vbi falso spargit ab ore iocos!
Sannio quot tremulis hinc vndat, & inde cachinnos
Faucibvs! hæc vatis mors cui risus erat.
Scurra procax cui non id scurræ oggannit in aurem!
Liber vbi manat, libera lingua fluat.
Nec satis est vatem fædis illudere sannis,
Miscet adhuc spurcis posthuma tela probris.
Ah! sine voce caput crudeli lancinat ictu,
At scelus hoc refugis Cinthia pallet equis.

Forſan vt ad diram tum ſtabat Adraſtia menſam;
Vidit vt hæc, toruo tale quid ore fremit:
Hoc fode Mœcha caput non ſunt ea vulnera vatis,
Sed tua; te vatis cœca ſub ore fodis.

(a) *Ocyma canit. Prouerb. id eſt diras canit. hinc Perſius: Diſcincto canit ocyma verna.*

Elegia 18.

Ioannis viuus & mortuus Herodis parricidium deteſtatur.

Opprimis innocuam funeſta nocte lucernam:
Scilicet inceſtas arguit illa faces.
Hinc acuit diram vatis pia cura ſecurim.
Purus amor fœdi damnat amoris opus.
Te pudet inde tuo breuis hæret in aure pudoris
Aura, memor vatis ſermo pudere mouet.
Aſt agni vox blanda lupam ſibi neſcia gignit,
Et ſibi Tiſiphonem iam Charis alba parit:
Hinc vatis tuus ardet amor, furor inde Megeræ.
Ille iubet ſoluas; hic noua vincla ſtruit.
Ocyùs haud æquas Rex impie frange catenas.
Fregeris, ipſe graui compede liber eris.
Sed furit inſanæ vox omnis & vna Megeræ,
Quâ non ſit Stigijs ſæuior vlla vadis.
Necte pedes; auidoque rerum caput emete ferro,
Non dabit è ſanctis libera iura ſuis.
Anne putas pedicis quia vinctus obhæret ahenis
Pes; etiam vincto vox pede vincta ſilet?
Hoc magis apta loqui eſt; quod ſi caput emetat enſis;
Ceu noua lingua, volent cætera membra queri.
Quin etiam nec voce caret Vox cædua trunco
Pectore; iam ſanguis vocis hic inſtar erit.
Sin autem ſileat; non tam de frigore lethi
Os ſilet; ac flammis leuo ſceleſte tuis

Flagitijque

Flagitijque horrore, Cupidineiſque ſagittis,
Queis pius ambuſſit pectora caſta dolor.
Illud erat toties pulchro cur arſerit igni;
Ambierit ſacro mortis honore frui.
Cerne tui ſceleris teſtes in morte minaces
Hos oculos, iſtic vindicis ira flagrat.
Morte ſuâ ſeris hoc vt ſcelus arguat annis
Poſthuma vox; nolet publica fama mori.

Elegia 19.

Ioannis caput in diſco ferale furiarum epulum deteſtatur pietas.

ARguit inceſtum vatis vox ferrea crimen,
Libera ſecuro mens cui corde ſedet.
Et verò lupa ſpurca nouas vbi ruminat iras;
Arſit in vltrices facta leæna faces:
Nam ſæuum placidâ videas in pellice monſtrum.
Cui Charis ore, ſedet torua Megæra ſinu.
Fac epulum natale, foreſque intexe coronis;
Vertet in exſequias ſerta, dapeſque dolor.
En, lances ferale caput, cyathique coronant:
Hoc decet hîc, feſtis texta corona roſis.
Siccine natales reparat lux candida Soles;
Si Rex atra necis pignora lance gerat?
Deque cruore ſacro ſæuos furor hauriat ignes;
Pax vbi feſta leui verſat in orbe choros?
Prô funeſta dies, hunc quę parit atra furorem!
Lux vbi natali fulſerat alba toro.
Quis non hic timeat concors in crimina nomen,
Rex vbi tale nefas orſus, & orſa ſoror?
O procul hinc virgo, flos occidet ipſe pudoris.
Et procul eſte nurus: hîc probra ſpecto tori.
Væ! væ! væ! miſero cur tam grauis incubat vltor,
Et cui vox irę conſcia fulmen alit!
Viuit, adhuc viuit mutæ vox neſcia mortis.
Apta loqui truncum fit ſibi lingua caput.

Fit tuba Vox. cœlo vindex it clamor in hostem.
Vocis vt incidit mucro sceleſtus iter.
Vocaliq́ue tuos accuſat morte furores.
Si non vindicias expetat inde ſuas.
Clamor it hic cœlo. ſcelus opprime terra ſepulcro.
Vlta ſcelus. ſuperâ clamat ab arce Themis.
Ceu fera paſce ſacro rabiem nunc ſanguine. ſanguis
Per tua quem fundas vulnera, ſemper erit.

Elegia. 20.

Totus orbis inſanum & impium Herodis imperium de Ioannis cæde damnat.

AVricomus roſeo dux qui prælucet Eoo,
Phoſphorus auguſtis impulit aſtra rotis.
Feſtus io, lęto feſtus ſol ardet in oſtro,
Natalemq́ue redux imperat ire diem.
Auſpice iam Como, Cypris denupta Lyęo,
Increpat argutę tinnula plectra lyrę,
Flexanimis facunda modis chelys erudit orbes,
Orbes, flexipedem queis regit illa chorum.
Leno Cupido caput choreę. pręit ille magiſter,
Multus enim ludo. multus & ille lyrâ eſt.
Turpis amor caſto ſed vbi depugnat amori? „
Ah! amor inceſto caſtus ab hoſte perit. „
Quà ſalit, ac numeroſa trahit veſtigia pellex;
Opprimet inuiſum frons cui pura, caput.
Quid cum vate choroque? choris aget ille choragum?
Hos fugit. alba nigris damnat vt agna, lupos.
Inde rapace reus præſcindit acinace vocem,
Abſonus ab verbo qui fremit arma, furor.
An ſilet illa? cauis ſaxis memor accinit Echo
Hoc ſcelus, & mœſtis ſuccinit vnda modis.
Ingeminantq́ue ęgri murmur lacrymabile venti,
Audieris ventos plangere; crede tubas,
Sed triſtes ſine flore tubas, grandeſve querelas,
Queis dolor id toto damnat in orbe nefas.

Adde

Adde, quod iratis vindex furor arguet astris;
Vt plorent, oculis induet astra dolor.
Auritis scopulis si lugubris aggemat Echo:
Dedecus hoc Diuûm nesciet æthra queri?
At surdo ne tale nefas nox supprimat æuo;
Vox sceleri testis publica, mundus erit.
Si Themi forte velis scitari conscia caussam:
Parua, gemens dices, seu mage nulla fuit.
Vox leuis aura, nigræ quæ dedecus increpat aulæ,
Cui sanctum nihil est, prô graue crimen erat!
Aurâ quid leuius, grauius quid crimine cædis?
Aura tamen summi criminis instar habet.
Idque vbi spondet opem succo medicata salubri
Lingua; reo pestis ne qua sit atra toro.
Ah! furor in sæuam quò, quò ruis impie mortem?
An mors apta malo quæ medeatur, erit?
Parce precor Medico. quo cor dolet, oderis vulcus?
Stulte, putas Medici morte medela venit?

Elegia 21.

De exsecrabili Herodis scelere Pij conuiuæ exsecratio.

AD HERODEM.

ANte quidem rebar cædem scelus esse furoris.
Vt video; Veneris nunc ea ludus erit.
...usus vt est Boreæ turres strauisse procellis:
Sic Cypridis risus nomina summa rapi est.
...d quod agit duri vis iracunda furoris:
Hoc agit in molli vox chely fusa choro.
...rce precor sceleri, quod & ipsa nec ausit Erynnis.
Et cedat lacrymis mitior ira meis.
...uid precor, vt tepidis tigris mansuescat ab vndis,
Ipsâ sęuitia quæ magè sęua furit?
...s vt inam prô corde tuo sub pectore staret!
Cederet his mollis cos, quibus vror, aquis.

Cederet & tanto chalybis genus omne dolori.
Sed quid adhuc lacrymis os dolor ęger arat?
Iste furor nullos mitescit amoris ad imbres;
Quem parit incesto crimine fœtus amor.
Si scelus arcessas à fonte furoris, & orco;
Eumenis huic sceleri, dic, caput ipsa fuit.
Quod si fors aliquid sit, cui mens effera cedat;
Credo, minor vatis cederet illa minis.
Nulla tamen cessit. stat inexorabile pectus;
Et rabies necdum, quo satietur, habet.
Scilicet ad cytharæ sonitus, plaususque, chorosque,
Surda lyræ iustas abstulit aura preces.
Nil agitis lacrymæ, sed opus magè sanguinis vsu,
Frangat vt hunc duræ mors adamanta manu.
Franget? adhuc tetrum ludit tigris impia ludum.
Tigridis est risus, quod mihi planctus erat.
Hospes vti digitis æstiuum ventilat aurum:
Sic rotat articulis impia lena caput.
Ast exsangue caput, cui non tam morte silet vox;
Quàm luxûs odio, luxuriæque probro.
Si modò lingua cauo non ruminat ore querelas,
Nec vibrat ira truces in fera monstra minas.
Indignans oculos auertit, opinor, in iram
Fulmineos, disco qui sine voce iacet.
Nec cinis hic pallor, pallet de Cypride tædâ.
Quæ dare iussa choros, tale sit ausa nefas.
Cernis vt in mutas cruor emicat igneus iras?
Arguit excisum probra cruenta caput.
Si fuerit vox visa mori moriente palato;
Triste sacro scribet sanguine fama scelus.
Sanguine, iugis hiems nullo quem deleat imbre,
Vlla nec annosis deterat hora rotis.
Quis scit an & memori scelus hoc non pinxerit astro;
Sanguineis scribi luna sueta notis?
Terra parens certè violis id scribit & herbis.
Arboribus scribit, scribit & ipsa petris.
Vt sic purpureus iam sit liber orbis, & ęther;
Cui memor inscribat facta nefanda cruor.

Pythago

(a) *Pythagoras, & alij sanguineas in Luna literas arte magica abs se inscribi fingebant, easque ostendebant.*

Elegia. 22.

Herodis Herodiadisque crudelitas.

O Vos par vrget amor concordi currere fræno,
Deperit incęstum Iuno scelesta Iouem.
Et quasi non Iouis hic sat sit furor asper in hostem;
Asperat immites coniugis ira minas.
Hinc sitit Herodes, Herodias inde cruorem.
Hæc sceleris causam sciscit, at ille scelus.
Par vt vterque furit, par vrget vterque periclum,
Et par inde nefas conflat adulter Hymen.
Inde dies vbi læta redit genialibus horis,
Iucundique vocant annua serta tori;
Et redit ad cœnam funesti scena furoris,
Digna Thyęstęa denuò nube premi.
Stat detestandæ cœnæ caput agnus in auro,
Quem laniat sæuis bellua terna modis.
Non perdix, non pauo sapit, nec Phasidos ales,
Ebria Peucino nec placet vua mero.
Non nisi delicias caput illætabile vatis
Hic facit, & pascit gaudia lauta cruor.
Heu rabies! quam non Thetis omnibus eluat vndis,
Cui tot ad illecebras mors nisi cruda sapit.
Quis neget hic epulum condi ferale Megæris;
Pocula queis sanguis fercula truncus homo.
Nec sat id est sceleri. (quisnam furor iste furoris?)
Insuper obscœnis polluit opprobrijs.
Hic medio caput vngue procax defigit, & vncâ
Nare sonat, rhonchos, sibilaque ille vibrat.
Aut fodit alterno postica ciconia motu,
Exserit hic linguam, despuit ille probrum.
Censeres sentire feri ludibria scurræ
Triste caput; surdas cui fremit ira minas,

Luminaque in sæuo scelus indignantia nimbo
Ardent attonitis fulmina bina toris.
Increpat & multo manans vox sanguine cædem;
Cædem, quam nullis expiet Ara rogis.
Ast ego quid dicam? tu suggere, quisquis es, hospes.
Flebo, quod hîc flebis; quodque queerere, querar.
Natalem id nasci est Eoo sidere lucem;
Si mors sanguineis Phosphoron vmbrat aquis?
Cernis adhuc oculos media vel morte minaces?
Fulmina torua vibrant, & sine nube tonant.

Elegia 23.

Diræ & minæ in adulteros.

Spectatum satis est. funesto vela theatro
Volue dolor, vindex deinde reuolue furor.
Lude Choro, lupa, triste scelus, crispósque cachinnos
Ingemina; ferro Vox vbi iussa mori est.
Omnis in extremam nondum sol occidit horam.
Alter adhuc alio voluitur orbe dies.
Tempus erit, vindex quo sceptra recudet in enses.
Vt patiare nocens, quæ patienda iubes.
Mutabitque in busta faces. ac vinciet olim
Ante corona comis, facta catena pedes.
Facta times? facienda caue: grauis incubat vltor.
Quæ modo blanditur spes, timor asper erit!
Iam superest tragicum quæ claudat scena furorem,
Scena theatrali crimine docta necem.
Quis pudor hîc noxæ, quæ deinde pudoris imago est?
Denique quis vindex hæc piat ausa dolor?
Sis memor illa, tibi iam cor defigit, & aures,
Quæ tulit augustum perfida sica caput.
Crudus adhuc, toruusque scelus, scelus increpat hostis,
Posthuma cui seras ruminat ira minas.
Ille, vides? trunco qui manat corpore sanguis,
In tua quod manet vulnera, sulfur erit!
Tam bene quæ saltas, aliena pericula demens,
Ipsa tuo letho triste piabis opus.

Illide

llidet nocuæ mors ſceptra cruenta coronæ,
Carnificeſque metet falce rapace pedes.
'er caput hoc iuro, caput inuiolabile letho,
Qui cruor it venis, fons necis ater erit.
lamat enim, clamat vocali vulnere ſanguis,
Plecte reos, iuſto fulmine plecte nefas.
uis tibi tum ſenſus? quas te mors abdet in vmbras?
Flectere qui poſſit numen, an vllus erit?
redo, nec ipſa ſalus te ſeruet ad haſce ſecures
Quas tibi procudit cœlite noxa manu.
ilicet immani petulans de cæde cachinnus,
Irritat nocuo vindicis arma ioco.
ſilet os index. quid tum? treme Iudicis iram,
Num quia præco ſilet, ſurdus & vltor erit?
npie quem damnas, ornas hunc prædo coronâ,
Ferrea nunc, auro cœlite ſica micat.
bitra libra necis gladius, tunc curia carcer,
Rex reus, ipſe torus triſte tribunal erit.
iin etiam dirus ſceleris quæſitor, & idem
Teſtis, item diſcus teſtis, & hoſpes erit.
iamque ſecas ferro, cui vox it ferrea veri;
Mille ſibi linguas vnica lingua parit.
ilta tui ſceleris tot linguis viuet imago,
Ceu ſpeculi fruſtis crebra figura micat.
oc & in argento cui plurima gutta cruoris
Triſte rubet, ſpeculum lugubre cædis habes,
ot legis hoc diſco ſtillas: tot & inde querelas
Adlegis, & mæſtæ pallida ſpectra necis.
æque tuum ſtillans hoc ſanguine gutta, furorem
Arguit; é ſpeculo lingua fit illa ſuo.

Elegia 24.

Minæ in Herodem.

AD HERODEM.

PAr quibus est nomen, grauat & par culpa nocentes:
Ite pares; pœnæ par manet ordo reos.
Credula ne fœdæ fallat fiducia noxę
Spem; tibi mors volucri Castoris ibit equo.
Altera nunc Harpya toros si crimine fœdat;
Alter & hic Phineus Rex scelus omne lues:
Teque repentè toro fulmen detrudet ad orcum.
Hîc tibi natales mors aget vsque dies.
Triste feres crimen, qui non fers criminis auram.
Vox vbi te duris increpat æqua probris?
Qui fugis auersus pia vota monentis amici;
Vindicis incurres obuius vltrò minas.
Vix vbi pungit apis: cui telo saucius omni,
Si tamen exclamas, fulmen & arma feres?
Ipse struit vindex ipsis ex spicula sceptris,
Spicula sceptrigeras plectere nata manus.
Occidat, occideritque sinas in sanguine vates,
Clamat adhuc, clamor cui prius iuit aquis.
Os exsangue silet; sed adhuc in morte, cruento
Eloquio surdas detonat ira minas.
Turpe putas, isto sepelis cum funere crimen?
Occidet excisum posthuma probra caput.
Si silet elingui iam vox præcisa palato;
Incipiet verbum (prô tuba quanta!) loqui.
Ecqua Thyesteo non planget scena theatro;
Vt canet infandum tibia lyda scelus!
Quæ non luctisonis vox aggemet æmula saxis,
Vnde gemant Vocem tristia saxa mori!
Quid iuuat infesto neruos rescindere ferro;
Si lyra fracta, lyræ plurima plectra parit?

Elegia 25.

Infelix Herodis exitus.

IN ſcelus excudit ferrum furor aſper, & iras
Exacuit ferro, Tyndaris adde Parin.
Sed Syrus ille Paris, ſimul & Syra Tyndaris vnum
In caput arma duplex hoſtis iniquâ mouet.
Tertiaque accedit, gemino quæ militat hoſti.
Stulte quid in vatem Rex tria bella cies?
Tune illum pugnando? cades minor impare bello,
Indomito vatis cor adamante riget.
At tuus ille furor vanos fluet orbus in auſus;
Ceu tacitis albus qui fugit imber aquis.
Sin contra, horrificis cœli fragror intonat armis.
Quælibet vnde manus diſſoluantur, erit.
Perque genu fluet omne liquor, ſed ſalſus ab ęgro
Vertice, cui gelidus pallet in ore timor.
In nimbo ah trepido capitis grauis incubat vltor,
Infringitque tuâ ſceptra caduca manu.
Dic, an non meritas Rex ardeat vltor in iras,
Iuſtus ab iniuſto cui perit hoſte cliens?
Nec ſcelus hoc vltum iuſtis Deus ibit in armis;
De duce cui vatum gloria prima cadit?

Elegia 26.

Diſpar Herodis & Ioannis exitus.

AD HERODEM.

IMpie cœca tuæ bacchare pericula vitæ,
Vt lubet, ac vatis de nece lude ſcelus.
Idque ioco, ludus ſi ſit tibi culpa furoris;
Ludus item culpæ pœna perennis erit:

Ah! oculus cœco qui pronubus arsit Amori, „
Quot Stigio fœtas educat igne faces! „
Sic modò quæ fuerit blando via prima furori;
Vltima post læui meta doloris erit.
Victor ouans gestit, cui palma sit alta securis;
Asperiore cades victor & ipse manu.
Non vt nunc, & erit sic semper, cedere virtus „
Visa semel, semper cederet ergo neci? „
Sic vbi cupressus fors iam premat inuida palmam;
Non erit hanc maior semper vt vmbra premat.
Esto cadat vates, vanæ sub imagine mortis:
Inde triumphali surget ad astra rota.
Sic aliâ de parte nouo rota vertitur axe,
Aurea cui felix meta salutis erit.
Cui sua tam liquidis dimanant gaudia riuis,
Nectareoque fluit vita beata mari;
Vt velo pima fames, sibi cæna, Lycus amaror,
Aula foret carcer, læta chorea labor.
Regia gaza lutum, luxus regalis egestas,
Purpura turpe sagum, dedecus omnis honos:
Atra catena prius mortis scelerata supellex,
Nunc radiat fuluis clara corona comis.
Vsque adeò dispar geminę nunc alea vitæ,
Hinc Vatis, miseræ vertitur inde lupæ?
Dum profugæ trahit illa choros ad cornua lunę;
Nox subit, Eoum non habitura iubar.
Sole nouo Vates pulchrum sed peccat IESV,
Pulcher eo ducit Phosphorus igne diem.

Elegia 27.

Ioannis caput in disco exsecrabile Herodiano conuiuio mortis donum.

QVæ vox sat poterit lacrymis æquare querelas,
Prô furor! vt Vocem vis scelerata tulit?
Conscia Vox verbi, casti Vox obses amoris,
Et Vox Idalias vincere nata faces;

Heu!

Heu facinus crudele! silet; silet inscia fandi,
Æternumque silens triste loquetur opus.
Nempe tenax veri mens, & vis nescia frangi, „
Irritat rabidas in sua damna feras. „
Hinc castos animos odijs oppugnat, & armis „
Impius incesto qui flagrat igne furor. „
Quisquis enim turpi sceleri caput exserit orco „
Sidereum pulchræ lucis abhorret opus. „
Huic in lance caput lethi crudele theatrum,
Erubuit tantum conscia luna nefas.
Ergone mors leta struet in dape triste tribunal,
Et pateras inter sceptra cruenta geret.
Quid tibi cum ferro? vino Rex dilue curas;
Dilue; sanguineo dulcior vua mero est.
Cæde quid obscænâ violas terat impia tigris?
Quid facit ad festas impia sica faces?
Linque fero Marti sua spicula, linque furorem:
Natali quid agit mors, furor, ira die,
In calicem defingc caput Scytha tetrior vrso, (a)
Et bibe ferali pocla scelesta mero.
Ignosco sceleri, licet inde bibisse cruorem:
Maius vbi Cypris iam fuit ausa scelus.

(a) *Scythæ & Boij olim crania hostium in pocula effingebant.*

Elegia 28.

Herodias in glacie saltitans demergitur digno rogo.

CRystallo radiante ruber calet hospes Iacchus,
Iamque natat pingui cerua lepusque garo.
Et myrrha madidos rosa siccat amœna capillos,
Tibiaque argutis garrit amica choris.
Solenni trabeata (viden?) dux mima theatro
Ludit, & alta leui sub pede sceptra regit:

Atque leuem rapido ſecum rapit orbe coronam:
Dein rapidam mollis Cypris Erynnin agit.
Fida ſat eſt nulli quamuis ſit amica voluptas;
Omnibus hęc noxę lugubre pandit iter.
Vel rex, quem capiunt cytharęque, chorique, coronas
Inter, in arcanâ compede ſeruus erit.
Adſpice, tranſuerſum quò nunc furialis Enyo
Abripit hunc, blandâ quem lyra fraude capit.
Sponte quod haud ageret Rex, cui ſtat gratia Vatis,
Mœcha procax blando crimine ſuadet agi.
Hîc hilares vbi ſpecto choros, hilaremque Lyæum:
Hei mihi! prędo ſacrum pręſcidit enſe caput.
Idque verecundo circumfert lictor in auro:
Erubuit tetrum lanx violanda ſcelus.
Attonitę fugiunt emoto cardine poſtes,
Vt ſensêre nefas exitiale tori.
Cui non vltrò fluunt trepida de fronte corollæ?
Quęque manu ſtabant pocula ſponte cadunt?
Qui modo purpureus, mœſtus nunc pallet Iacchus,
Præque metu cyathis effugit omne merum.
Iſtud an æthra nefas, tellus coniurat & æther?
Alter enim ſiccat, altera fundit aquas.
Obduratque gelu, queis ludat adultera, fluctus,
Quodque ſolum credis, fluxus id humor erat.
Vtque choris eſt fulta, chorum lupa verſat in amne,
Orgiaque hic alijs ludit agenda modis:
Mors ſed in amne natat; ſontemque liquentibus orco,
Quas bene Ioannes fuderat, haurit aquis.
At bene ſi ſpectes, iuſtæ Themis arbitra pœnæ,
Dum rea lena luit, non fuit vlta nefas.
Ipſa magis ſed iniquâ nouum ſcelus vltio peccat.
Quæ benè det flammis, corpora donat aquis.
Si quoque iam peccat vindex, quæ plectat inultum
Naufraga pœna ſcelus, culpa quid ipſa facit?
Aſt vbi plectit aquis, vindicta quod expiet igni
Crimen; vtroque luit mœchus vterque ſcelus.

Elegia 29.

Aura Herodi prius serena euadit in procellam.

AD HERODEM.

LÆta diu placidis vbi sors adrisit in astris;
Lusit inoffenso festa carina mari.
Sæua sed ira salo placidas nimis increpat auras.
Et tumidis haurit vela sepulta fretis.
Scilicet Herodes, nec non Herodias vnum
Ambo scelus, lætos instituere choros.
Sed sine lege choros. ludi modus abfuit omnis.
Ægysthusque nefas ausus, & ausa Cypris. (a)
Vna choros, alter scelus vrget, vterque furorem,
Deque furore grauem ludit vterque necem.
Ludat in omne scelus, cui mens sit nescia fati: „
Ludere sic tuto crimine nemo potest. „
Nam quoties castum fraus damnat adultera nomen: „
Omnis in auctorem noxa pianda redit. „
Sed timor ante, dolorque minace recusat ab orco, „
Corda dolore flagrant, ora timore gelant. „
Non bene Bacche graues mensâ premis vbere curas, „
Diluitur nullo spinea cura mero. „
Ferrea nam thalamis posuere cubilia curæ, „
Vltrices curæ, mors quibus atra comes. „
Mors è fronte rosas ferreis euerberat alis, „
Læta caput spinis implicuisse caput.
Aura serena quidem lætum promittit Eoum.
Siqua fauet fonti; mox breuis aura fugit.
Longa sed in seram tempestas deinde procellam
Detonat, & stygios sæuit inusque lacus:
Improba merx meretrix. has dum cadit hausta sub vndas,
Queis cadit hausta fretis, haurit & ipsa procos.

(a) *Ægysthus Clytemnestræ adulter occidit Agamemnonem eius maritum.*

Elegia 30.

D. Ioannis triumphus.

1. *Amor diuinus Ioannis adornat triumphum.*
2. *Ioannis in curru triumphali maiestas.*
3. *Triumphus, & in eo monstrorum sub rotis oppressio.*

INterea Vates flos pulchrior emicat astro,
Purior illimi cui niue candet amor.
Victor amor felix, cui semper adorea bello
Floret, & ante tubas omina læta mouet: ,,
Et Dux ipse, comesque suo cum Vate triumphum ,,
Apparat, & Vati præmia sera canit.
Sæua sed in fædos obnunciat omina pardos;
Pardos, queis proprium crimen adulter Hymen.
Dicitur alba priùs tristem traxisse ruborem,
Mortis opus, lenæ quæ rosa fronte stetit.
Qualis at hic Vati claræ fiducia laudis
Surgit, Idumęo cui sata palma toro est!
Vt rata vota tulit, pulchræ mors conscia famæ;
Candida pennato fama triumphat equo.
Iamque triumphales aduoluit ad astra quadrigas
Gloria, purpureâ gloria picta togâ.
Ipse suo Vates vt tinxit sanguine lauros;
In caput admittit laurea serta suum.
Dux habiles flecti pudor emoderatur habenas
Puniceas, pictis quas struit ille rosis.
Cui sol ipse suos optat transscribere currus,
Curribus vt curas adderet inde suas.
Haud aliâs alijs lux pulchrior vlla quadrigis,
Ardet eques gemmis, ignibus ardet equus.
Vatis at adsidit latus hinc soror alba Pudori:
Inde sedet duris læta Virago malis.
Princ'pe stans dextrâ sceptrum Iouis incubat ales;
Qui legit innubi Solis ab ore iubar.

Præradiat læuâ lampas, lux nescia noctis;
Ni magè sol terris alter, & alter eat:
Ne stet Acidalium cœlo de Cypride sidus;
Pulsa Venus cœlo est. Phosphorus alter erit,
Phosporus alter erit, casti lux candida vatis,
Cui sit & Idalio pulchrius igne iubar.
Quid loquar auratis fulgentes axibus orbes?
Quæque tremunt duris saucia monstra rotis?
Hîc Iocus, hîc vdo Como comes vdus Iacchus,
Et Venus hic duro pondere pressa gemit.
Hîc incœstus Hymen, choræque, lyreque, voluptasque,
Hîc Odium, eque Odio dira Libido necis.
Et quôdcumque scelus blandis meditatur Erinnys
Picta dolis, vindex queis struat arma dolor.
Ipsa, vides? longo miscens cum sanguine fletus,
Lena pari leno saucius axe iacet.
Alternantque pares sociâ sub strage querelas:
Exprobrat hic fraudes, exprobrat illa scelus.
Intereà superas Vates adsurgit ad arces
Victor, & astrigeris subijcit astra rotis.
Sub pedibusque vides lętum decurrere solem,
Vatis ad occasum qui modò męstus ijt.
Sol cui de radijs struit hinc, struit inde coronam,
Hauriat vt pernox Phosphorus inde iubar.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Prior numerus paginam; posterior lineam denotat.

Paginâ 3. lineâ 9. lege: Vis. pag. 4. lin. 17. vehat. p. 12. l. 17. liquorem. 5. à fine. suosque. 14. 14 ministra. 20. 22. Verbi. 24. 9. à fine. sitim. 31. 9. Ioannes. 14: Insubrum. 35. 13. caussa. 37. 11. à fine. vteri. 40. 3. natura. 45. 19. puero. 46. vltim. basi. 49. 6. dîus amor. 52. 12. sole nouo. ibid. 8. à fin æstiuali. 59. 5. sentis. 65. 16. decora. 70. 8 per. ibid. 17. æmula. 74. 7. residet. 79. 2. fabrâ saxa. ibid. vlt. indice. 80. pænult. Pyxis. 87. 17 Horatianum. 96. 13. pœna. 101. 2. Grauis. 126. vltim dimanat. 152. 4. gloria. 153 2. illustrius. 156. 9 à fin. Ecclesia, Ioannis. 158. 1 naturâ. 137. 1. homines pronos in libidinem. ibid. 11. Græcis. 138. 25. erumpentes. 142. 4. cæremonia. 144. 14. Quæ. 162. 6. à fin. tot retrò nepotum. 188. 12. noxis. 189. 13. perfusus. 196. 14. immiti. 199. 1. thalamo. 201. 12. sanguine. 211. 5. à fin. flexit. 215. 5. gladios 221. 13. aspra. 225. 12. niueis. 226. 2. pusio. ibid. 14. nepotem. ibid. 13. à fin. fontis. 237. 4. 4. fœta. 239. 4 frænabunt. 242. 8. racemus. ibid. 13. crispos. 21. Salomonidas. 243. 4. à fine. fœcundus. 244 3. quis sonus. 245. 12. lilia. 247. 14. nigro. ibid. 18. varias. ibid. vltim. cauis. 249. 3. queteris.

reris. 250. 4. cyatho ſpargam. 253. 2. à fine. Fronte. 254. 2. ſaltatio. 255. 16. leæna. 257. 12. à fin. aſperat. 8. à fine. O ne. 258. 6. Herodias. 260. 8. à fine. furiâ, tantus. 261. 9. memini. 262. 6. ream. 265. 14. & 18. & 21. ἀεί. 267. 12. comit &c. 268. 19. Fuluia. 270. 8. Ioannes. ibid. 10. à fin. reum.

APPENDIX

Ad Fol. 149.

S. Seuerinus Noricorum Apoſtolus, vbi Vindibonæ (quæ iam Vienna) ſtatas legit preces; quas vocant horas; eò S. Ioannis cineres appulêre, quibus religioſo cum obſequio occurrit.

Miſſa capto Byzantio à Walone Ambianum facies S. Ioannis Baptiſtæ. Magn. Chronic. Belgij, & Continuator Nangiaci.

Martinus Abbas miſit Byzantio in Germaniam reliquias de Sancto Ioanne Baptiſtâ.

Sub finem Pontificatus Sixti IV. Albuſſonus Magiſter Rhodiorum dono accepit à Baiazete Turcarum Imperatore, dum fœdus cum eo init, ſacram S. Ioannis dexteram miraculis inſignem; olim Byzantium Antiochiâ delatam, & magnâ religione cultam ac pluribus teſtimonijs comprobatam: quam Magiſter ingenti honore & pompâ excepit; & ferculo aureo gemmis illuſtri incluſit. Vide hiſtoriam Hoſpitalariorum, vbi plura.

Gundelberga Theodelindæ Sanctiſſimæ Longobardorum Reginæ, & S. Gregorio cariſſimæ, quia eam gentem ab Ario ad S. Petri fidem traduxerat, haud impari ſanctitate Filia; cui Modoetiæ ſuperbum D. Ioanni templum mater excitarat; ſic & ipſa Ticini, quæ tum

Longobardorum regia, itidem D. Ioanni magnificam ædem extruxit. *Bauaria Sancta in Gundelb.*

Ad lib. 3. Elegiarum.

S. Corbinianus par fermè ob incestum, quem arguit, D. Ioannis Baptistæ imago.

GEminum pænè D. Ioannis historiæ exemplum suggerit Corbinianus Episcopus Frisingensis; quod sic se habet. Theodebaldus moriens reliquit Peletrudem domo Francam, eleganti forma viduam; quam Theodebaldi frater Grimoaldus perditè amat, & iustæ vxoris loco habet: vt autem Corbinianus Româ rediit è Paulo (vt alter Ioannes Baptista) ab irato Numine, sed surdis auribus, intonat minas: vnde parùm abfuit, quin & Herodem Grimoaldus, & Peletrudis Herodiadem tragico scelere in eius cædem ageret. Sed tandem, vbi ea contentio dies 40. tenuit, feliciore quam Ioannes euentu S. Præsul, tum monendo, tum minando, peruicaces hactenus infregit animos; ne: ad pœnitentiæ studium inflexit modò, sed etiam ambos supplices (quanta vis eloquentiæ sacræ!) suis substrauit pedibus, passis brachijs spondentes, se ilicò incesti coniugij impia vincula dirupturos: vti & dirupere. Quamquam Peletrudis iniquo animo æquum ferret diuortium, tum criminando Corbinianum, tum identidem exprobrando

robrando ignauiam Grimoaldo, eum incitaret
n Corbinianum. Qui impotentis fæminæ ca-
umnijs fidem habens, subinde viro sancto, ne-
otium facessit. Sed eæ fraudes in fumos tan-
em abiêre. Non sic Alpaidis, cuius iniquus
olor Lamberti sanguine constitit. Vt & Giselæ
uror in simili causa Kiliani immani cœde fuit
xpiandus; vti Herodiadis in Ioannem inex-
iabile odium eius sanguine fuit extinguendum.
ic imbecillos animos vane, quam veram tamen
æstimant, iniuriæ dolor exulcerat; vt illi dolori
on nisi innoxius sanguis medeatur: alioqui vel
pse viri arguentis adspectus vti perpetuus cru-
lo in vlcere vnguis existit. *Inimicum enim* (vt
Tertul.) *qui videt, patitur.*

De Festo S. Ioannis piè celebrando.

EDuardus I. Anglorum Rex, nescio, feli-
ciori fortunâ, an Heroicâ fortitudine Sco-
os sic obterit, vt eorum Sedem marmoream,
n quâ Reges inaugurari soliti Sconæ, in An-
gliam transtulerit. Verùm eo defuncto, Scoti
actenus duro iugo oppressi animos ad noua
bella erigunt; sibi pristinæ libertatis ius vt ad-
struant. Eâ causâ Sterlingum obsident ab An-
glis insessum: quod obsidione vt eximat Eduar-
di filius; domi militieque vires quàm potest
maximas, contrahit: & quidem eas, vt centies
quinquagies mille equites, & haud dubiè plures
peditum copias eduxerit; quantas Anglia nun-

quam viderat. Iamque peruigilio S. Ioannis Baptiſtæ Scotis imminebant: qui tum ieiunijs, & alijs pietatis officijs corpus affligabant ſuum. Poſtridie verò animos expiarunt ſalubri pœnitentiæ remedio, & Sacroſancto Chriſti pabulo firmarunt. Cùm interim ſuperbâ vitium ſuarum ferociâ ſubnixi Angli, luxu militi indecoro, & otio ſecuro, delicijſque diffluerent, ſine vllâ numinis ſibi propitiandi & placandi curâ, vt victores exultarent. Quibus Deus vltor palmam hactenus à Scotis partam, in manibus infregit: tunc enim vt omittam miracula, opem Angelicam, & inſidias Roberti Bruſij; ceſa ſunt 50. Anglorum M. Angli tantum 10. M. numerant. porrò ipſe Eduardus vix nauiculâ euaſit: Voto B. Virgini nuncupato de Æde illi excitandâ. E Scotis autem 4. tantùm millia occubuère, & 2. equeſtris ordinis viri è 34. M. ſui exercitûs. Inter plurimos captus etiam fuit Robertus Barton tunc Poëta haud ignobilis, quem Eduardus ſecum adduxerat, vt ſibi pæana de triumpho Scotico caneret. Quem Bruſius coëgit laureas Anglicanas, in palmas Scoticas retexere, & Bruſij gloriam celebrare: qui Angliam ſibi finitimam miris deformauit cladibus, & quidem eo ſui nominis terrore, vt duo Scoti 100. Anglos in fugam auerterent: fratremque ſuum Eduardum Hiberniæ quantumuis inuitæ, Regem imponeret. Nimirum illi Dei vindicis luſus; vt ſuperbis & ſibi nimium præfidentibus victoribus,

ſibique

ſibique ob id inuiſis rotas triumphales in medio victoriarum curſu, & ſecurâ de palmâ fiduciâ infringat: oppreſſos autem, humique afflictos, Dei ope, quæ nuſquam ſpem fallat, ſubnixos ſummo honoris faſtigio alternâ fortunâ collocet. Qualis tum ſors victori Scoto ſub Roberto Bruſio contrà Anglum ob pietatem; talis & Anglo contra Francum ſub Henrico V. Vt bellum tum ardebat Francos inter & Anglos; ad Agincourt vtrimque acies concurrêre. Et quidem Angli omninò pauciores numero: Franci verò florentiſſimo, eoque copioſiſſimo exercitu ferociores, iam canebant ante bellum triumphum, in ludos & luxum ſoluti. Angli verò pridiè ante pugnam ieiunijs & ſupplicibus votis Numen placabant; poſtridiè verò cæleſtes hausêre vires, eâ è mensâ de quâ Vates Regius: *Paraſti menſam in conſpectu meo aduerſus eos qui tribulant me.* Vndè nobiliſſima illa victoria parta fuit, quâ ceciderunt 30. Francorum M. & in ijs flos nobilitatis Francicæ, & externę: eamque palmam, quam ſpe ſecurâ iam ſibi videbantur tenere, armatâ manu Franco extorsêre: & hoc è fiducia Regis in Deum, & ſuorum pietate. Cum enim non nemo è proceribus optaret maius Regi vt adforet ſubſidium: tum Rex pluſquàm regio animo reſpondit: nolim vel vnum quidem militẽ meis caſtris accedere; eſto non neſciam me exiles copias immenſis obijcere. Si enim iuſta vindicis Dei ira à nobis exigat pænas: nos pauci minore

cum

cum Angliæ dedecore, & damno ab immensis obruemur hostibus: sin autem maximi & optiparentis indulgentia propitio numine annuerit victoriam; agemus quas possumus, gratias maximas, easque æternitati consecrabimus. Neque Rex iam victor grati officij immemor, cani iussit: *In exitu Israel* &c. vbi autem cantatur: *Non nobis Domine, non nobis*. Omnes, Regis iussu, in genua procubuère: & postmodũ semper die S. Crispini & Crispiniani, in quem diem ea pugna incidit, imperauit omnibus sacris, quibus interfuit eorum Sanctorum memoriam repeti, adiunctâ oratione.

Quia deinde Ioannes Dux Bedfordius insignem in Mari à Gallo retulerat victoriam pridiè assumptæ Virginis; iussit Rex Antiphonam illi diei aptam, quotidie in sacello regio cani. Ex his & alijs elucet rara Henrici pietas, etiam erga res sacras. Qui Cadomi, quod obsidebat, quà murus facilè patuisset hosti, voluit parci; ne eius casus secum proximi templi ruinã traheret.

Capto & direpto Rhotomago non sustinuit aliquid è predâ templorũ asylis cõmissâ diripi.

Illibata illi castitas vsque ad matrimonium, & in eo, ceu flos æui integer, stetit. Porrò cùm tota Anglia suis migrare sedibus videretur, in eius ad Dorouerniam occursum, & in vrbe regiâ in eius laudes & plausus effusâ exsultaret; non maiorem inde gloriæ suæ gustum hausit, quàm in Xenophonte Hercules à voluptate. nec

ostentabat

ostentabat galeam coronâ præcinctam, & arma hostilibus ictibus contusa: ne quod inde vanæ gloriolæ futile choragium, & superbum famæ suffragium aucupari videretur. Vt autem cum Catharinâ nuptias contraxit, vix biennium superuixit tertio & trigesimo suæ vitæ anno: & tot honorum titulos cum regno reliquit. Qui non sat diu patriæ, sed gloriæ vixit. Ille idem moriturus, sacris ritè procuratis, legit simul psalmos: vbi eò iam ventum: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion*: Indixit silentium; & ait: Tu nosti domine, pace cum franco stabili initâ, me firmo proposito statuisse Ierosolymam Christianæ libertati restituere. & sic demum paulò post obijt.

Libuit Henrici victrici de lilijs laureæ è pietate, & securâ in Deum fiduciâ, morumque innocentiâ eius vitam, & mortem æquè vtramque felicem, ceu lemniscum substexere. Vt discant Reges, & Regum clientes, quàm *pietas* palmæ Indicæ instar, *ad omnia* (vt me docet Paulus) sit *vtilis*. Et quàm vberes quis inde & meritorum, & gloriæ fructus decerpat?

Quare ignoscat, quæso mihi, si cui in his nōnihil videar extra chordam saltare; & id quidem pietatis excitandæ studio. Nolim mihi sit fraudi, & sinistro obnoxius sim iudicio, quod ego sacerdos, & religiosus dextero, vt opinor, stylo regiæ pietatis exemplum, cuiuis suggero imitandum.

ODE

ODE
De Anglicana Victoria.

FRanca vt Britannis lilia de rosis
Mauors coronet; colligit agmina
Immensa; paucas quò procellâ
Opprimat innumerâ phalangas.
Tot vna contrà sed pietas stetit
Turmas. In armis stansque adamantinis
Tot castra fudit, Angla floret
Liligeris rosa de coronis.
Alterna Diuum cura volubili
Sic sorte ludit Martis in aleâ,
Victósque victores que victrix
Mutat agens dubios triumphos.

Elogiũ & Epiphonema alterum.
IOANNES

OMnium virtutum schola, Magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitię titulus, castitatis exemplum, fidei disciplina, maior homine, propior Angelis, legis summa, Euangelij sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco Iudicis, pręcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis. *Chrysolog. serm.* 86. *vide Mendoza. viridar. lib.* 6. *orat.* 15.